

# ANTHOLOGIA

## POETICA LATINA.

IN USUM SCHOLÆ HERGENSIS.

Carpendi studio paulatim longius itur.

OVID.



OXONII,

EXCUDEBAT S. COLLINGWOOD, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

IMPENSIS PAYNE ET FOSS, PALL MALL, LONDINI.

MDCCCXXXV.

# INDEX.

---

	Pag.
<b>TERENTIUS.</b>	
EUNUCHUS. Actus II. Scena II. ....	1
Actus III. Scena I. ....	2
HEAUTONTIMORUMENOS. Actus I. Scena I. ....	3
ADELPHI. Actus I. Scena I. ....	6
<b>LUCRETIUS.</b>	
Lib. I. i. ....	9
Lib. II. i. ....	11
Lib. II. 342. III. 883....	13
Lib. IV. i. VI. 1136. ....	16
CATULLUS. ....	21
<b> VIRGILIUS.</b>	
ECLOGA IV. ....	28
GEORGICON Lib. IV. 317. ....	29
ÆNEIDOS Lib. VI. 426. ....	35
<b>ORATIUS.</b>	
Lib. I. Carm. XXVIII. ....	47
Lib. II. Carm. II. III. ....	48
Carm. VI. ....	49
Carm. XVIII. ....	50
Lib. III. Carm. XXIV. ....	51
EPOD. Carm. II. ....	52
Carm. V. ....	54
Lib. I. Epist. XIV. ....	57
Lib. II. Epist. I. 232. ....	58
<b>PHÆDRUS.</b>	
Lib. III. Prologus. ....	60
Fab. I. ....	61
Fabb. II. XII. ....	62
Fab. XIV. ....	63
<b>OVIDIUS.</b>	
FASTORUM Lib. I. 63. ....	64
Lib. II. 293. ....	70
Lib. V. i. ....	72
TRISTIUM Lib. I. 2. ....	75
Lib. V. i. ....	77
METAMORPH. Lib. VII. i. ....	80
<b>TIBULLUS.</b>	
Lib. II. 5. ....	84
Lib. III. 3. ....	87
Lib. III. 5. ....	88

# INDEX.

	Pa-
<b>PROPERTIUS.</b>	
Lib. I. 17. II. 1. ....	8
Lib. IV. 4. ....	91
<b>MANILIUS.</b>	
Lib. V. 359. ....	9
<b>LUCANUS.</b>	
Lib. I. 121. ....	6
Lib. III. 1. ....	16
Lib. III. 375. ....	16
Lib. V. 504. ....	164
Lib. IX. 1. ....	166
Lib. IX. 544. ....	167
<b>SILIUS ITALICUS.</b>	
(3) Lib. X. 1. ....	108
<b>VALERIUS FLACCUS.</b>	
Lib. I. 22. ....	21
Lib. III. 1. ....	119
<b>STATIUS.</b>	
THEBAIDOS Lib. IV. 1. ....	123
SYLVARUM Lib. II. 2. ....	130
Lib. II. 4. ....	134
Lib. II. 7. ....	135
Lib. V. 4. ....	139
<b>MARTIALIS.</b>	
DE SPECTACULIS. Epp. 1. 2. 18. 25. ....	140
EPIGRAMMATUM Lib. I. Epp. 13. 17. 22. 33. 43. 62. ...	141
Lib. II. Epp. 7. 90. ....	142
Lib. IV. Epp. 8. 11. 18. 44. 57. 64. ib.	
Lib. V. Epp. 58. 69. ....	145
Lib. VII. Epp. 21. 40. 63. 88. .... ib.	
Lib. VIII. Ep. 3. ....	146
Lib. IX. Epp. 62. 98. ....	147
Lib. X. Ep. 35. ....	148
<b>SENECA.</b>	
MEDEA. Actus II. 301. ....	149
HERCULES FURENS. Actus I. 1. ....	151
<b>CLAUDIANUS.</b>	
IN RUFINUM. Lib. I. 2. 3. ....	155
DE III. CONS. HONOR. VI. 1. VII. 73. ....	156
DE II. CONS. FL. STILICHONIS. Præfatio. ....	158
DE RAPTU PROSERP. Lib. I. 1. ....	159
DE SENE VERONENSI. I. ....	161
<b>PRUDENTIUS.</b>	
CONTRA SYMMACHUM. II. Præfatio. ....	16

# ANTHOLOGIA

## POETICA LATINA.

IN USUM SCHOLÆ HERGENSIS.

Carpendi studio paulatim longius itur.

OVID.



OXONII,

EXCUDEBAT S. COLLINGWOOD, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

IMPENSIS PAYNE ET FOSS, PALL MALL, LONDINI.

MDCCCXXXV.



# INDEX.

---

	Pag.
<b>TERENTIUS.</b>	
EUNUCHUS. Actus II. Scena II. ....	1
Actus III. Scena I. ....	2
HEAUTONTIMORUMENOS. Actus I. Scena I. ....	3
ADELPHI. Actus I. Scena I. ....	6
<b>LUCRETIUS.</b>	
Lib. I. i. ....	9
Lib. II. i. ....	11
Lib. II. 342. III. 883....	13
Lib. IV. i. VI. 1136. ....	16
CATULLUS. ....	21
<b> VIRGILIUS.</b>	
ECLOGA IV. ....	28
GEORGICON Lib. IV. 317. ....	29
ÆNEIDOS Lib. VI. 426. ....	35
<b>ORATIUS.</b>	
Lib. I. Carm. XXVIII. ....	47
Lib. II. Carm. II. III. ....	48
Carm. VI. ....	49
Carm. XVIII. ....	50
Lib. III. Carm. XXIV. ....	51
EPOD. Carm. II. ....	52
Carm. V. ....	54
Lib. I. Epist. XIV. ....	57
Lib. II. Epist. I. 232. ....	58
<b>PHÆDRUS.</b>	
Lib. III. Prologus. ....	60
Fab. I. ....	61
Fabb. II. XII. ....	62
Fab. XIV. ....	63
<b>OVIDIUS.</b>	
FASTORUM Lib. I. 63. ....	64
Lib. II. 293. ....	70
Lib. V. i. ....	72
TRISTIUM Lib. I. 2. ....	75
Lib. V. i. ....	77
METAMORPH. Lib. VII. i. ....	80
<b>TIBULLUS.</b>	
Lib. II. 5. ....	84
Lib. III. 3. ....	87
Lib. III. 5. ....	88

# INDEX.

	Pa-
<b>PROPERTIUS.</b>	
Lib. I. 17. II. 1. ....	8
Lib. IV. 4. ....	91
<b>MANILIUS.</b>	
Lib. V. 359. ....	9
<b>LUCANUS.</b>	
Lib. I. 121. ....	6
Lib. III. 1. ....	16
Lib. III. 375. ....	16
Lib. V. 504. ....	164
Lib. IX. 1. ....	166
Lib. IX. 544. ....	167
<b>SILIUS ITALICUS.</b>	
(3) Lib. X. 1. ....	108
<b>VALERIUS FLACCUS.</b>	
Lib. I. 22. ....	21
Lib. III. 1. ....	119
<b>STATIUS.</b>	
THEBAIDOS Lib. IV. 1. ....	123
SYLVARUM Lib. II. 2. ....	130
Lib. II. 4. ....	134
Lib. II. 7. ....	135
Lib. V. 4. ....	139
<b>MARTIALIS.</b>	
DE SPECTACULIS. Epp. 1. 2. 18. 25. ....	140
EPIGRAMMATUM Lib. I. Epp. 13. 17. 22. 33. 43. 62. ...	141
Lib. II. Epp. 7. 90. ....	142
Lib. IV. Epp. 8. 11. 18. 44. 57. 64. ib.	
Lib. V. Epp. 58. 69. ....	145
Lib. VII. Epp. 21. 40. 63. 88. .... ib.	
Lib. VIII. Ep. 3. ....	146
Lib. IX. Epp. 62. 98. ....	147
Lib. X. Ep. 35. ....	148
<b>SENECA.</b>	
MEDEA. Actus II. 301. ....	149
HERCULES FURENS. Actus I. 1. ....	151
<b>CLAUDIANUS.</b>	
IN RUFINUM. Lib. I. 2. 3. ....	155
DE III. CONS. HONOR. VI. 1. VII. 73. ....	156
DE II. CONS. FL. STILICHONIS. Præfatio. ....	158
DE RAPTU PROSERP. Lib. I. 1. ....	159
DE SENE VERONENSI. I. ....	161
<b>PRUDENTIUS.</b>	
CONTRA SYMMACHUM. II. Præfatio. ....	16

# ANTHOLOGIA LATINA.

---

## TERENTIUS.

### EUNUCHUS. ACTUS II. SCENA II.

GNATHO. PARMENO.

*Gn.* Di immortales ! homini homo quid præstat, stulto intelligens !

Quid interest ! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.  
Conveni hodie adveniens quandam mei loci hinc, atque ordinis,

Hominem baud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.  
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.  
Quid istuc, inquam, ornati est ? Quoniam miser, quod habui,  
perdidi. Hem,

Quo redactus sum ! omnes noti me, atque amici deserunt.  
Hic ego illum contemsi præ me. Quid, homo, inquam,  
ignavissime ?

Itan' parâsti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi ?  
Simul consilium cum re amîsti ? viden' me ex eodem ortum  
loco ?

Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis ?  
Omnia habeo, neque quidquam habeo. Nihil cum est, nihil  
defit tamen.

At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati  
Possum. Quid ? tu his rebus credis fieri ? tota erras via.  
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.  
Hoc novum est aucupium : ego adeo hanc primus inveniviam.  
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum  
volunt,

Nec sunt : hos consector. Hisce ego non paro me ut rideant ;  
 Sed his ulro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.  
 Quidquid dicunt, laudo : id rursum si negant, laudo id  
 quoque.

Negat quis ? nego : ait ? aio. Postremo imperavi ego. Et mihi  
 Omnia assentari. Is quæstus nunc est multo uberrimus.

*Pa.* Scitum hercle hominem ! hic homines prorsum ex  
 stultis insanos facit.

*Gn.* Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi ad-  
 venimus,

Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,  
 Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes ;  
 Quibus et re salva et perdita profueram, et prosum sæpe.  
 Salutant ; ad cœnam vocant ; adventum gratulantur.  
 Ille ubi miser famelicus videt me esse in tanto honore,  
 Et tam facile victum quærere, ibi homo cœpit me obsecrare.  
 Ut sibi liceret discere id de me : sectari jussi ;  
 Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinæ ex  
 ipsis

Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.

### ACTUS III. SCENA I.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

*Th.* MAGNAS vero agere gratias Thais mihi ?

*Gn.* Ingenteis. *Th.* Ain' tu ? læta 'st ? *Gn.* Non tam ipso  
 quidem

Dono, quam abs te datum esse : id vero serio

Triumphat. *Pa.* Huc proviso, ut, ubi tempus siet,

Deducam : sed ecum militem ! *Th.* Est istuc datum

Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.

*Gn.* Advorti hercle animum. *Th.* Vel rex semper maxumas  
 Mihi agebat, quidquid feceram ; aliis non item.

*Gn.* Labore alieno magnam partam gloriam

Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem,

Quod in te est. *Th.* Habes. *Gn.* Rex te ergo in oculis.

*Th.* Scilicet.

*Gn.* Gestire. *Th.* Vero : credere omnem exercitum,

Consilia. *Gn.* Mirum. *Th.* Tum sicubi eum satias

Hominum, aut negoti si quando odium ceperat,

Requiescere ubi volebat; quasi : nostin' ? *Gn.* Scio : .  
 Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo. *Th.* Tenes.  
 Tum me convivam solum abducebat sibi. *Gn.* Hui ! . . .  
 Regem elegantem narras. *Th.* Immo sic homo est  
 Perpaxorum hominum. *Gn.* Immo nullorum arbitror,  
 Si tecum vivit. *Th.* Invidere omnes mihi ; . . .  
 Mordere clanculum : ego non flocci pendere.  
 Illi invidere misere : verum unus tamen  
 Impense, elephantis quem Indicis præfecerat.  
 Is ubi molestus magis est, Quæso, inquam, Strato,  
 Eone es ferox, quia habes imperium in belluas ?  
*Gn.* Pulchre mehercle dictum, et sapienter. Papæ !  
 Jugulâras hominem. Quid ille ? *Th.* Mutus illico.  
*Gn.* Quidni esset ? *Pa.* Dii vostram fidem ! hominem perditum  
 Miserumque, et illum sacrilegum. *Th.* Quid illud, Gnatho,  
 Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,  
 Nunquid tibi dixi ? *Gn.* Nunquam : sed narra, obsecro.  
 Plus millies audivi.

---

## HEAUTONTIMORUMENOS.

## ACTUS I. SCENA I.

CHREMES. MENEDEMUS.

*Ch.* QUANQUAM hæc inter nos nuper notitia admodum 'st,  
 Inde adeo, quod agrum in proxumo hic mercatus es,  
 Nec rei fere sane amplius quidquam fuit ;  
 Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,  
 Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,  
 Facit, ut te audacter moneam, et familiariter ;  
 Quod mihi videre præter ætatem tuam  
 Facere, et præter quam res te adhortatur tua.  
 Nam proh Deûm atque hominum fidem ! quid vis tibi ?  
 Quid quæris ? annos sexaginta natus es,  
 Aut plus eo, ut conjicio : agrum in his regionibus  
 Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet ;  
 Servos complureis : proinde quasi nemo siet,

Ita tute attente illorum officia fungere.

Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi

Domum revertor, quin te in fundo conspicer

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. Denique

Nullum remittis tempus; neque te respicis.

Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio.

At enim dices, me, quantum hic operis fiat, pœnitet.

Quod in opere faciendo operæ consumis tuæ,

Si sumas in illis exercēndis, plus agas.

*Me.* Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi,

Aliena ut cures, eaque, nihil quæ ad te attinent?

*Ch.* Homo sum: humani nihil a me alienum puto.

Vel me monere hoc, vel percontari puta.

Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deterream.

*Me.* Mihi sic est usus: tibi ut opus factum est, face.

*Ch.* An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? *Me.* Mihi.

*Ch.* Si quid laboris est, nolle: sed quid istuc mali est,

Quæso? quid de te tantum meruisti? *Me.* Eheu!

*Ch.* Ne lacruma: atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam:

Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi,

Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

*Me.* Scire hoc vis? *Ch.* Hac quidem causa, qua dixi tibi.

*Me.* Dicetur. *Ch.* At istos rastros interea tamen

Adpone: ne labora. *Me.* Minime. *Ch.* Quam rem agis?

*Me.* Sine me vacivom tempus ne quod duim mihi

Laboris. *Ch.* Non sinam, inquam. *Me.* Ah! Non æquum facis.

*Ch.* Hui, tam graves hos, quæso? *Me.* Sic meritum est meum.

*Ch.* Nunc loquere. *Me.* Filium unicum adolescentulum

Habeo: ah! quid dixi habere me? immo habui, Chreme:

Nunc habeam, necne, incertum est. *Ch.* Quid ita istuc?

*Me.* Scies.

Est e Corintho hic advena anus paupercula:

Ejus filiam ille amare cœpit perdite,

Prope jam ut pro uxore haberet: hæc clam me omnia.

Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,

Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,

Tractare; sed vi, et via pervolgata patrum.

Quotidie accusabam: hem, tibine hæc diutius

Licere speras facere, me vivo patre,

Amicam ut habeas prope jam in uxor's loco?

Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.

Egō te meum esse dici tantisper volo,  
 Dum, quod te dignum 'st, facies : sed, si id non facis,  
 Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.  
 Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.  
 Ego, istuc ætatis, non amori operam dabam,  
 Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem ; atque ibi  
 Simul rem, et belli gloriam, armis repperi.  
 Postremo adeo res rediit : adolescentulus,  
 Sæpe eadem et graviter audiendo, victus est,  
 Et ætate putavit me, et benevolentia,  
 Plus scire et providere, quam se ipsum sibi.  
 In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.  
*Ch.* Quid ais ? *Me.* Clam me profectus, menses treis abest.  
*Ch.* Ambo accusandi ; etsi illud incepsum tamen  
 Animi est pudentis signum, et non instrenui.  
*Me.* Ubi comperi ex iis, qui ei fuere consciī,  
 Domum reyortor mœstus, atque animo fere  
 Perturbato, atque incerto præ ægritudine :  
 Adsido ; adcurrunt servi, soccos detrahunt ;  
 Video alios festinare, lectos sternere,  
 Cœnam adparare : pro se quisque sedulo  
 Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.  
 Ubi video hæc, cœpi cogitare : Hem ! tot mea  
 Solius solliciti sint causa, ut me unum expleant ?  
 Ancillæ tot me vestiant ? sumtus domi  
 Tantos ego solus faciam ? sed gnatum unicum,  
 Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,  
 Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea 'st,  
 Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.  
 Malo quidem me dignum quovis deputem,  
 Si id faciam : nam usque dum ille vitam illam colet  
 Inopem, carens patria ob meas injurias,  
 Interea usque illi de me supplicium dabo,  
 Laborans, quærens, parcens, illi serviens.  
 Ita facio prorsus : nihil relinquo in ædibus  
 Nec vas, nec vestimentum : conrasi omnia,  
 Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico  
 Faciendo facile sumtum exercent suum :  
 Omnes produxi ac vendidi : inscripsi illico  
 Ædeis mercede ; quasi talenta ad quindecim  
 Coëgi ; agrum hunc mercatus sum ; hic me exerceo.

Decrevi tantisper me minus injuriæ,  
Chremie, meo gnato facere, dum fiam miser ;  
Nec fas esse ulla me voluptate hic frui,  
Niſi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.

*Ch.* Ingenio te esse in liberos leni puto,  
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode  
Tractaret. Verum neque tu illum satis noveras,  
Nec te ille : hocque fit ubi non vere vivitur.

Tu illum, numquam ostendisti, quanti penderes,  
Nec tibi ille 'st credere ausus, quæ est æquom patri ;  
Quod si esset factum, hæc numquam evenissent tibi.

*Me.* Ita res est, fateor : peccatum a me maximum est.

*Ch.* Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi  
Salvum ad futurum esse hinc, confido, propediem.

*Me.* Utinam ita Dī faxint ! *Ch.* Facient : nunc, si com-  
modum est,

Dionysia hic sunt hodie ; apud me sis volo.

*Me.* Non possum. *Ch.* Cur non ? quæso, tandem aliquantulum  
Tibi parce : idem absens facere te hoc vult filius.

*Me.* Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,  
Nunc me ipsum fugere. *Ch.* Siccine est sententia ?

*Me.* Sic. *Ch.* Bene vale. *Me.* Et tu. *Ch.* Lacrumas ex-  
cussit mihi,

Miseretque me ejus. Sed, ut diei tempus est,

Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,

Ad cœnam ut veniat. Ibo, visam si domi est.

Nihil opus fuit monitore : jam dudum domi

Præsto apud me esse aiunt : egomet convivas moror.

Ibo adeo hinc intro : sed quid crepuerunt fores

Hinc a me ? quisnam egreditur ? huc concessero.

## A D E L P H I.

### ACTUS I. SCENA I.

MICIO.

STORAX ! non rediit hac nocte a cœna Æschinus,  
Neque servorum quisquam, qui advorsum ierant ?

Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,  
 Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,  
 Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat  
 Irata, quam illa, quæ parentes propitii.  
 Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,  
 Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi;  
 Et tibi bene esse soli, quum sibi sit male.  
 Ego, quia non rediit filius, quæ cogito,  
 Et quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit,  
 Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit  
 Aliquid. Val! quemquamne hominem in animum instituere,  
     aut

Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?  
 Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre: is adeo  
 Dissimili studio est, jam inde ab adolescentia.  
 Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium  
 Secutus sum; et, quod fortunatum isti putant,  
 Uxorem nunquam habui. Ille, contra, hæc omnia:  
 Ruri agere vitam; semper parce ac duriter  
 Se habere: uxorem duxit: nati filii  
 Duo: inde ego hunc majorem adoptavi mibi:  
 Eduxi a parvulo: habui, amavi pro meo;  
 In eo me oblecto: solum id est carum mihi.  
 Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:  
 Do, prætermitto: non necesse habeo omnia  
 Pro meo jure agere. Postremo, alii clanculum  
 Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,  
 Ea ne me celet, consuefeci filium;  
 Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,  
 Aut audebit, tanto magis audebit cæteros.  
 Pudore et liberalitate liberos  
 Retinere satius esse credo, quam metu.  
 Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent.  
 Venit ad me sæpe, clamitans, Quid agis, Micio?  
 Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?  
 Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?  
 Vestitu nimio indulges; nimium ineptus es.  
 Nimium ipse est durus, præter æquumque et bonum:  
 Et errat longe, mea quidem sententia,  
 Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,  
 Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.

Mea sic est ratio, et sic animum induco meum :  
Malo coactus qui suum officium facit,  
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet :  
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.  
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit ;  
Studet par referre : præsens, absensque, idem erit.  
Hoc patrum est, potius consuefacere filium,  
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.  
Hoc pater ac dominus interest : hoc qui nequit,  
Fateatur nescire imperare liberis.  
Sed estne hic ipsus, de quo agébam ? et certe is est.  
Nescio quid tristem video : credo jam, ut solet,  
Jurgabit. Salvum te advenire, Denlea,  
Gaudemus !

# LUCRETIUS.

---

## LIB. I. I.

ÆNÆADUM genetrix, hominum Divumque voluptas,  
Alma Venus, cœli subter labentia signa  
Quæ mare nigerum, quæ terras frugiferentes  
Concelebras ; per te quoniam genus omne animantum  
Concipitur, visitque exortum lumina solis :  
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,  
Adventumque tuum : tibi suaves dædala tellus  
Summittit flores, tibi rident æquora ponti,  
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.  
Nam simul ac species patefacta est verna diei,  
Et referata viget genitabilis aura Favoni ;  
Aeriæ primum volucres te, Diva, tuumque  
Significant initum percussæ corda tua vi.  
Inde feræ pecudes persulant pabula læta,  
Et rapidos tranant amnes ; ita capta lepore,  
Illecebrisque tuis omnis natura animantum  
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.  
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas ;  
Nec sine te quicquam dias in luminis oras  
Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quicquam ;  
Te sociam studeo scribundis versibus esse,  
Quos ego de Rerum Natura pangere conor  
Memmiadæ nostro ; quem tu, Dea, tempore in omni  
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.  
Quo magis æternum da dictis, Diva, leporem :  
Effice, ut interea fera mœnera militai  
Per maria, ac terras omnes sopita quiescant.  
Nam tu sola potes tranquilla pace juvare  
Mortales, quoniam belli fera mœnera Mavors

Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se  
 Rejicit, æterno devinctus vulnere amoris.  
 Quod superest vacuas aures mihi Memmiada, et te  
 Semotum a curis adhibe veram ad rationem,  
 Nec mea dona tibi studio disposta fideli,  
 Intellecta prius quam sint, contempta relinquas.  
 Nam tibi de summa cœli ratione, Deumque,  
 Disserere incipiam, et rerum primordia pandam ;  
 Unde omnes Natura creet res, auctet, alatque ;  
 Quove eadem rursum Natura perempta resolvat :  
 Quæ nos Materiem, et Genitalia Corpora rebus  
 Reddunda in ratione vocare, et semina rerum  
 Appellare suemus, et hæc eadem usurpare  
 Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.  
 Omnis enim per se Divum natura necesse est  
 Immortali ævo summa cum pace fruatur,  
 Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe ;  
 Nam privata dolore omni, privata periclis,  
 Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,  
 Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.  
 Humana ante oculos fœde cum vita jaceret  
 In terris oppressa gravi sub Religione ;  
 Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,  
 Horribili super aspectu mortalibus instans :  
 Primum Graius homo mortales tollere contra  
 Est oculos ausus, primusque obsistere contra :  
 Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti  
 Murinure compressit cœlum, sed eo magis acrem  
 Virtutem irritat animi, confringere ut arcta  
 Naturæ primus portarum claustra cupiret.  
 Ergo vivida vis animi pervicit, et extra  
 Processit longe flammantia mœnia mundi :  
 Atque omne immensum peragravit mente animoque :  
 Unde refert nobis victor quid possit oriri,  
 Quid nequeat ; finita potestas denique cuique  
 Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.  
 Quare Relligio pedibus subjecta yicissim  
 Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.  
 Illud in his rebus vereor, ne forte rearis  
 Impia te rationis inire elementa, viamque

Religio peperit scelerosa, atque impia facta :  
 Aulide quo pacto Triviai virginis aram  
 Iphianassai turparunt sanguine fœde  
 Ductores Danaum, delecti, prima virorum.  
 Cui simul infula virgineos circumdata comptus  
 Ex utraque pari malarum parte profusa est,  
 Et mœstum simul ante aras adstare parentem  
 Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros ;  
 Aspectuque suo lacrymas effundere cives :  
 Muta metu terram genibus summissa petebat :  
 Nec miserae prodesse in tali tempore quibat,  
 Quod patrio princeps donarat nomine Regem.  
 Nam sublata virum manibus tremebundaque ad aras  
 Deducta est, non ut, solenni more sacrorum  
 Perfecto, posset claro comitari Hymenæo :  
 Sed casta inceste nubendi tempore in ipso  
 Hostia concideret mactatu mœsta parentis,  
 Exitus ut classi felix, faustusque daretur.  
 Tantum Relligio potuit suadere maloruni.

## LIB. II. 1.

SUAVE mari magno turbantibus æquora ventis,  
 E terra magnum alterius spectare laborem ;  
 Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,  
 Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.  
 Suave etiam belli certamina magna tueri,  
 Per campos instructa, tua sine parte pericli ;  
 Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere  
 Edita doctrina sapientum templa serena ;  
 Despicere unde queas alios, passimque videre  
 Errare, atque viam palantes quærere vitæ ;  
 Certare ingenio ; contendere nobilitate ;  
 Noctes atque dies niti præstante labore  
 Ad summas emergere opes, rerumque potiri.  
 O miseras hominum mentes, o pectora cæca !  
 Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis  
 Degitur hoc ævi, quocunque est ! nonne videre  
 Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cum  
 Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur  
 Jucundo sensu cura somato quietuus.

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus  
Esse opus omnino, quæ demant quemque dolorem ;  
Delicias quoque uti multas substernere possint ;  
Gratius interdum neque natura ipsa requirit.  
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes  
Lampadas igniferas manibus referentia dextris,  
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur ;  
Nec domus argento fulget, auroque renidet ;  
Nec citharis reboant laqueata aurataque templa :  
Attamen inter se prostrati in gramine molli,  
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,  
Non magnis opibus jucunde corpora curant ;  
Præsertim cum tempestas arridet, et anni  
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas,  
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,  
Textilibus si in picturis, ostroque rubenti  
Jactaris, quam si plebeia in veste cubandum est.  
Quapropter quoniam nil nostro in corpore gazæ  
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni :  
Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum.  
Si non forte tuas legiones per loca campi  
Fervere cum videas, belli simulacra cientes ;  
Fervere cum videas classem, lateque vagari ;  
His tibi tum rebus timefactæ relligiones  
Effugiunt animo pavidae, mortisque timores :  
Tum vacuum pectus linquunt, curaque solutum.  
Quod si ridicula hæc, ludibriaque esse videimus,  
Re veraque metus hominum, curæque sequaces,  
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela ;  
Audacterque inter reges, rerumque potentes  
Versantur ; neque fulgorem reverentur ab auro,  
Nec clarum vestis splendorem purpureai :  
Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas,  
Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret ?  
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis  
In tenebris metuunt : sic nos in luce timemus  
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam  
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.  
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est  
Non radij solis, neque lucida tela diei

## LIB. II. 342.

Præterea genus humanum, mutæque natantes  
 Squammigerum pecudes, et lata armenta, feræque,  
 Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum  
 Concelebrant, circum ripas, fontesque, lacusque ;  
 Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes :  
 Horum unum quodvis generatim sumere perge,  
 Invenies tamen inter se distare figuris.  
 Nec ratione alia proles cognoscere matrem,  
 Nec mater posset prolem ; quod posse videmus,  
 Nec minus atque homines inter se nota cluere  
 Nam sæpe ante Deum vitulus delubra decora  
 Turicremas propter mactatus concidit aras,  
 Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen :  
 At mater virides saltus orbata peragrans,  
 Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,  
 Omnia convisens oculis loca, si queat usquam  
 Conspicere amissum fœtum ; completque querelis  
 Frundiferum nemus assistens ; et crebra revisit  
 Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci :  
 Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,  
 Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis  
 • Oblectare animum, subitamque avertere curam :  
 Nec vitulorum aliæ species per pabula læta  
 Derivare queunt alio, curaque levare :  
 Usque adeo quiddam proprium, notumque requirit.  
 Praeterea teneri tremulis cum vocibus hœdi  
 Cornigeras norunt matres, agnique petulci  
 Balantium pecudes ; ita, quod natura reposcit,  
 Ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.

## LIB. III. 883.

Proinde ubi se videas hominem miserarier ipsum,  
 Post mortem fore, ut aut putas corpore posto ;  
 Aut flammis interfiat ; malisve ferarum :  
 Scire licet, non sincerum sonere ; atque subesse  
 Cœcum aliquem cordi stimulum, quamvis neget ipse  
 Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.

Non ut opinor enim dat, quod promittit ; et inde  
 Non radicitus e vita se tollit, et eicit ;  
 Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.  
 Vivus enim sibi cum proponit quisque, futurum  
 Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque ;  
 Ipse sui miseret ; neque enim se vindicat hilum,  
 Nec removet satis a projecto corpore ; et illud  
 Se fingit ; sensuque suo contaminat adstans.  
 Hinc indignatur se mortalem esse creatum ;  
 Nec videt, in vera nullum fore morte alium se ;  
 Qui possit vivus sibi se lugere pereemptum ;  
 Stansque jacentem ; nec lacerari, urive dolore.  
 Nam si in morte malum est malis, morsuque ferarum  
 Tractari ; non invenio qui non sit acerbum  
 Ignibus impositum calidis torrescere flammis ;  
 Aut in melle situm suffocari ; atque rigere  
 Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi :  
 Urgerive superne obtritum pondere terræ.  
 At jam non domus accipiet te læta ; neque uxor  
 Optima, nec dulces occurrit oscula nati  
 Præripere ; et tacita pectus dulcedine tangent :  
 Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque  
 Præsidio : miser ! o miser ! aiunt, omnia ademit  
 Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.  
 Illud in his rebus non addunt ; nec tibi earum  
 Jam desiderium insidet rerum insuper una.  
 Quod bene si videant animo, dictisque sequantur ;  
 Dissolvant animi magno se angore, metuque.  
 Tu quidem, ut es letho sopitus, sic eris ævi  
 Quod superest, cunctis privatu' doloribus ægris ;  
 At nos horrifico cinefactum te prope busto  
 Insatiabiliter deflebimus ; æternumque  
 Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.  
 Illud ab hoc igitur quærendum est ; quid sit amari  
 Tantopere, ad somnum si res redit, atque quietem,  
 Cur quisquam æterno possit tabescere luctu ?  
 Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque  
 Pocula sæpe homines ; et inumbrant ora coronis ;  
 Ex animo ut dicant, brevis hic est fructus homullis ;

**Quod sitis exurat miseris, atque arida torreat ;**  
 Aut aliæ cujus desiderium insideat rei.  
 Nec sibi enim quisquam tum se, vitamque requirit,  
 Cum pariter mens et corpus sopita quiescunt :  
 Nam licet æternum per nos sic esse soporem,  
 Nec desiderium nostri nos adtigit ullum ;  
 Et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus  
 Longe ab sensiferis primordia motibus errant :  
 Quin correptus homo ex somno se conligit ipse.  
 Cerberus, et Furiæ jam vero, et lucis egenus  
 Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus,  
 Hæc neque sunt usquam ; neque possunt esse profecto.  
 Sed metus in vita pœnarum pro malefactis  
 Est insignibus insignis ; scelerisque luela  
 Carcer ; et horribilis de saxo jactu' deorsum ;  
 Verbera ; carnifices ; robur ; pix ; lamina ; tædæ :  
 Quæ tamen et si absunt ; at mens sibi conscientia facti,  
 Præmetuens, adhibet stimulus, torretque flagellis ;  
 Nec videt interea, qui terminus esse malorum  
 Possit ; nec quæ sit pœnarum denique finis :  
 Atque eadem metuit, magis hæc ne in morte gravescant :  
 Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.  
 Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis :  
 Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit ;  
 Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.  
 Inde alii multi reges, rerumque potentes  
 Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt :  
 Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum  
 Stravit ; iterque dedit legionibus ire per altum ;  
 Ac pedibus salsa docuit super ire lacunas ;  
 Et contempsit, aquis insultans, murmura ponti ;  
 Lumine ademto, animam moribundo corpore fudit.  
 Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,  
 Ossa dedit terræ ; proinde ac famul infimus esset.  
 Adde repertores doctrinarum, atque leporum ;  
 Adde Heliconiadum comites ; quorum unus Homerus  
 Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete est.  
 Denique Democritum postquam matura vetustas  
 Admonuit memorem motus languescere mentis ;  
 Sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.  
 Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,

Qui genus humanum ingenio superavit ; et omnes  
Præstinxit, stellas exortus uti ætherius sol.

## LIB. IV. 1.

AVIA Pieridum peragro loca, nullius ante  
Trita solo ; juvat integros accedere fontes ;  
Atque haurire : juvatque novos decerpere flores,  
Insignemque meo capiti petere inde coronam,  
Unde prius nulli velârint tempora Musæ.

Primum quod magnis doceo de rebus ; et arctis  
Relligionum animos nodis exsolvere pergo :  
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango  
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore.

Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.  
Nam veluti, pueris absinthia tetra medentes  
Cum dare conantur, prius oras pocula circum  
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,  
Ut puerorum ætas improvida ludificetur  
Labrorum tenus ; interea perpotet amarum  
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur ;  
Sed potius tali tactu recreata valescat.

Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur  
Tristior esse, quibus non est tractata ; retroque  
Vulgus abhorret ab hac : volui tibi suaviloquenti  
Carmine Pierio rationem exponere nostram ;  
Et quasi Musæo dulci contingere melle :  
Si tibi forte animum tali ratione tenere  
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem  
Naturam rerum, ac persentis utilitatem.

## LIB. VI. 1136.

Hæc ratio quondam morborum, et mortifer æstus  
Finibus Cecropiis funestos reddidit agros,  
Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.

Nam penitus veniens Ægypti e finibus ortus,  
Aera permensus multum, camposque nitentes,  
Incubuit tandem populo Pandionis : omnes  
Inde catervatim morbo mortique dabantur.  
Principio, caput incensum fervore gerebant,  
Et duplices oculos suffusa luce rubentes.

Sudabant etiam fauces intrinsecus atro  
 Sanguine, et ulceribus vocis via septa coibat :  
 Atque animi interpres manabat lingua cruento  
 Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu ;  
 Iude ubi per fauces pectus complebat, et ipsum  
 Morbida vis in cor moestum confluxerat ægris ;  
 Omnia tum vero vitai claustra lababant.  
 Spiritus ore foras tetur volvebat odorem,  
 Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.  
 Atque animi prorsum vires totius, et omne  
 Languebat corpus, leti jam limine in ipso.  
 Intolerabilibusque malis erat anxius anguor  
 Assidue comes, et gemitu commista querela,  
 Singultusque frequens noctem per sæpe, diemque,  
 Conripere assidue nervos et membra coactans,  
 Dissolvebat eos, defessos ante, fatigans.  
 Nec nimio cuiquam posses ardore tueri  
 Corporis in summo summam fervescere partem :  
 Sed potius tepidum manibus proponere tactum,  
 Et simul ulceribus quasi inustis omne rubore  
 Corpus, ut est per membra sacer cum diditur ignis.  
 Intima pars homini vero flagrabat ad ossa ;  
 Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus.  
 Nil adeo posset cuiquam leve, tenuique membris  
 Vertere in utilitatem : ad ventum et frigora semper,  
 In fluvios partim gelidos ardentia morbo  
 Membra dabant, nuduni jacientes corpus in undas.  
 Multi præcipites lymphis putealibus alte  
 Inciderunt, ipso venientes ore patente.  
 Insedabiliter sitis arida corpora mersans  
 Äquabat multum parvis humoribus imbreui.  
 Nec requies erat ulla mali, defessa jacebant  
 Corpora ; mussabat tacito medicina timore ;  
 Quippe patentia cum totas ardentia noctes  
 Lumina versarent oculorum expertia somno :  
 Multaque præterea mortis tum signa dabantur ;  
 Perturbata animi mens in mœrore, metuque ;  
 Triste supercilium ; furiosus vultus, et acer ;  
 Sollicitæ porro, plenæque sonoribus aures ;  
 Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus ;  
 Sudoribus

Tenuia sputa, minuta, croci contineta colore,  
 Salsaque, per fauces raucas vix edita tussi.  
 In manibus vero nervi trahier, tremere artus :  
 A pedibusque minutatim succedere frigus  
 Non dubitabat : item ad supremum denique tempus  
 Compressæ nares : nasi primoris acumen  
 Tenue ; cavati oculi ; cava tempora ; frigida pellis,  
 Duraque ; inhorrebat rictum ; frons tenta minebat ;  
 Nec nimio rigida post strati morte jacebant :  
 Octavoque fere candenti lumine solis,  
 Aut etiam nona reddebat lampade vitam.  
 Quorum si quis, ut est, vitârat funera leti,  
 Ulceribus tetris, et nigra proluvie alvi ;  
 Posterius tamen hunc tabes letumque manebat :  
 Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore  
 Corruptus sanguis plenis ex naribus ibat :  
 Huc hominis totæ vires corpusque fluebat.  
 Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum  
 Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.  
 Multaque humi cum inhumata jacerent corpora supra  
 Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum  
 Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem ;  
 Aut, ubi gustârat, languebat morte propinqua.  
 Nec tamen omnino temere illis solibus ulla  
 Comparebat avis, nec noctibus sæcla ferarum  
 Exibant sylvis ; languebant pleraque morbo,  
 Et moriebantur : cum primis fida canum vis  
 Strata viis animam ponebat in omnibus ægram ;  
 Extorquebat enim vitam vis morbida membris.  
 Incomitata rapi certabant funera vasta :  
 Nec ratio remedi communis certa dabatur.  
 Nam quod alis dederat vitales aeris auras  
 Volvere in ore licere, et cœli templa tueri :  
 Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.  
 Illud in his rebus miserandum et magnopere unum  
 Ærumnabile erat ; quod, ubi se quisque videbat  
 Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,  
 Deficiens animo mœsto cum corde jacebat  
 Funera respectans, animam et mittebat ibidem ;  
 Idque vel in primis cumulabat funere funus.

**E**x aliis alios avidi contagia morbi :  
 Nam quicunque suos fugitabant visere ad ægros,  
 Vitai nimium cupidi, mortisque timentes,  
 Pœnibat paullo post turpi morte malaque  
 Desertos, opis expertes, incuria mactans,  
 Lanigeras tanquani pecudes, et bucera sæcla.  
 Qui fuerant autem praesto, contagibus ibant,  
 Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,  
 Blandaque lassorum vox mista voce querelæ.  
 Optimus hoc leti genus ergo quisque subibat :  
 Inque aliis alium populum sepelire suorum  
 Certantes, lacrymis lassi luctuque redibant.  
 Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur :  
 Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,  
 Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.  
 Præterea, jam pastor, et armentarius omnis,  
 Et robustus item curvi moderator aratri,  
 Languebant, penitusque casis contrusa jacebant  
 Corpora, paupertate et morbo dedita morti.  
**E**xanimis pueris super exanimata parentum  
 Corpora nonnunquam posses, retroque videre  
 Matribus et patribus natos super edere vitam.  
 Nec minimum partim ex agris ægroris in urbem  
 Confluxit, languens quem contulit agricolarum  
 Copia, conveniens ex omni morbida parti.  
 Omnia complebant loca tectaque, quo mage eos tum  
 Confertos ita acervatim mors accumulabat.  
 Multa siti prostrata viam per, proque voluta  
 Corpora silanos ad aquarum strata jacebant,  
 Interclusa anima nimia ab dulcedine aquæ.  
 Multaque per populi passim loca prompta, viasque,  
 Languida semianimo tum corpore membra videres,  
 Horrida paedore, et pannis cooperta, perire  
 Corporis inluvie : pellis super ossibus una,  
 Ulceribus tetris prope jam sordique sepulta.  
 Omnia denique sancta Deum delubra replerat  
 Corporibus mors exanimis, onerataque passim  
 Cuncta cadaveribus cœlestum templâ manebant,  
 Hospitibus loca quæ complerant ædituentes.  
 Nec jam religio divum, nec numina magni  
 Pendebantur ; enim præsens dolor exsuperabat.

Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,  
Ut prius hic populus semper consuērat humari.  
Perturbatus enim totus trepidabat, et unus  
Quisque suum pro re consortem nœstus humabat.  
Multaque vis subita, et paupertas horrida suasit ;  
Namque suos consanguineos aliena rogorum  
Insuper instructa ingenti clamore locabant,  
Subdebantque faces, multo cum sanguine sæpe  
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

## C A T U L L U S.

---

### IV.

PHASELUS ille, quem videtis, hospites,  
Ait fuisse navium celerrimus ;  
Neque ullius natantis impetum trabis  
Nequissime præterire, sive palmulis  
Opus foret volare, sive linteo.  
Et hoc negat minacis Adriatici  
Negare litus, insulasve Cycladas,  
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,  
Propontida, trucemve Ponticum sinum ;  
Ubi iste, post phaselus, antea fuit  
Comata silva : nam Cytorio in jugo  
Loquente sæpe sibilum edidit coma.  
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,  
Tibi hæc fuisse, et esse cognitissima  
Ait phaselus : ultima ex origine  
Tuo stetisse dicit in cacumine ;  
Tuo imbuuisse palmulas in æquore ;  
Et inde tot per impotentia freta  
Herum tulisse, læva, sive dextera  
Vocaret aura, sive utrumque Jupiter  
Simul secundus incidisset in pedem :  
Neque ulla vota litoralibus Deis  
Sibi esse facta, cum veniret a mari  
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.  
Sed hæc prius fuere : nunc recondita  
Senet quiete, seque dedicat tibi,  
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

### XXIX.

PENINSULARUM Sirmio, insularumque  
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,

Marique vasto fert uterque Neptunus ;  
 Quam te libenter, quamque latus inviso,  
 Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos  
 Liquisse campos, et videre te in tuto.

O quid solutis est beatius curis !

Cum mens onus reponit, ac peregrino  
 Labore fessi venimus larem ad nostrum,  
 Desideratoque acquiescimus lecto.

Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.  
 Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude ;  
 Gaudete, vosque Lariæ lacus undæ ;  
 Ridete quidquid est domi cachinnorum.

## XLIV.

JAM ver egelidos refert tepores,  
 Jam cœli furor æquinoctialis  
 Jucundis Zephyri silescit auris.  
 Linquantur Phrygii, Catulle, campi,  
 Nicææque ager uber æstuosæ ;  
 Ad claras Asiæ volemus urbes.  
 Jam mens prætrepidans avet vagari :  
 Jam læti studio pedes vigescunt.  
 O dulces comitum valete cœtus,  
 Longe quos simul a domo profectos  
 Diverse variæ viæ reportant.

## LXI.

HÆC vestis, priscis hominum variata figuris,  
 Heroum mira virtutes indicat arte.  
 Namque fluentisono prospectans litore Diæ  
 Thesea cedentem celeri cum classe tuetur  
 Indomitos in corde gerens Ariadna furores :  
 Necdum etiam sese, quæ visit, visere credit,  
 Utpote fallaci quæ tum prium excita somno  
 Desertam in sola miseram se cernit arena.  
 Immemor at juvenis fugiens pellit vada renis,  
 Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.  
 Quem procul ex alga moëstis Minois ocellis,  
 Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evœ,

Non flavo retinens subtilem vertice mitram,  
 Non coniecta levi velatum pectus amictu.  
 Omnia quæ toto delapsa e corpore passim  
 Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.  
 Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus  
 Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,  
 Toto animo, tota pendebat perdita mente.  
 Ah misera, assiduis quam luctibus externavit  
 Spinosas Erycina serens in pectore curas  
 Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus  
 Egressus curvis e litoribus Piræi,  
 Attigit injusti regis Gortynia tecta.  
 Nam perhibent olim crudeli peste coactam  
 Androgeoneæ poenas exsolvere cædis,  
 Electos juvenes, simul et decus innuptarum  
 Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.  
 Queis angusta malis cum mœnia vexarentur,  
 Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis  
 Projicere optavit potius, quam talia Cretam  
 Funera Cecropiæ ne funera portarentur.  
 Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris,  
 Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.  
 Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo  
 Regia (quam suaves exspirans castus odores  
 Lectulus in molli complexu matris alebat :  
 Quales Eurotæ progignunt fluminia myrtos,  
 Aurave distinctos educit verna colores)  
 Non prius ex illo flagrantia declinavit  
 Lumina, quam cuncto concepit pectore flamمام  
 Funditus, atque imis exarsit tota medullis.  
 Heu misere exagitans immitti corde furores  
 Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces ;  
 Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum,  
 Qualibus incensam jactastis mente puellam  
 Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem !  
 Quantos illa tulit languenti corde timores !  
 Quantum sæpe magis fulgore expalluit aurum !  
 Cum sævum cupiens contra contendere monstrum,  
 Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis :  
 Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis  
 Promittens, tacito suspendit vota labello.

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro  
 Quercuni, aut conigeram sudanti corpore pinum,  
 Indomitus turbo contorquens flamine robur  
 Eruit; illa procul radicibus exturbata  
 Prona cadit, late quæcumvis obvia frangens:  
 Sic domito sævum prostravit corpore Theseus  
 Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.  
 Inde pedem victor multa cum laude reflexit,  
 Errabunda regens tenui vestigia filo,  
 Ne Labyrintheis e flexibus egredientem  
 Tecti frustraretur inobservabilis error.  
 Sed, quid ego, a primo digressus carmine, plura  
 Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,  
 Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,  
 Quæ misero gnatæ fleret deperdita luctu,  
 Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?  
 Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae?  
 Aut ut eam tristi devinctam lumina somno  
 Liquerit immemori discedens pectore conjux?  
 Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem  
 Clarisonas imo fudisse e pectore voces:  
 Ac tum præruptos tristem descendere montes,  
 Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus:  
 Tum tremuli salis adversas procurrere in undas  
 Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:  
 Atque hæc extremis mæstam dixisse querelis,  
 Frigidulos udo singultus ore crientem;  
 Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,  
 Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?  
 Siccine discedens neglecto numine Divum  
 Immemor, ah! devota domum perjuria portas?  
 Nullane res potuit crudelis flectere mentis  
 Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,  
 Immite ut nostri vellet mitescere pectus?  
 At non hæc quondam nobis promissa dedisti  
 Voce; mihi non hæc miseræ sperare jubebas;  
 Sed connubia læta, sed optatos hymenæos:  
 Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti.  
 Jam jam nulla viro juranti femina credat,  
 Nulla viri speret serinones esse fideles.  
 Certe ego te in medio versantem turbipe leti

Eripui, et potius germanum amittere crevi,  
 Quam tibi fallaci supremo in tempore deesse.  
 Pro quo dilaceranda feris dabor, alibusque  
 Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.  
 Quænam te genuit sola sub rupe leæna?  
 Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?  
 Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,  
 Talia qui reddis pro dulci præmia vita?  
 Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,  
 Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis;  
 Attamen in vestras potuisti ducere sedes,  
 Quæ tibi jucundo famularer serva labore,  
 Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,  
 Purpureave tuum consternens veste cubile.  
 Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,  
 Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ,  
 Nec missas audire queunt, nec reddere voces?  
 Ille autem prope jam mediis versatur in undis;  
 Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.  
 Sic nimis insultans extremo tempore sæva  
 Fors etiam nostris invidit questibus aures.  
 Jupiter omnipotens, utinam ne tempore primo  
 Cnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes;  
 Indomito nec dira ferens stipendia tauro  
 Perfidus in Cretam religasset navita funem;  
 Nec malus hic celans dulci crudelia forma  
 Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.  
 Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?  
 Idomeniosne petam montes? ah! gurgite lato  
 Discernens Ponti truculentum ubi dividit æquor?  
 An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui  
 Respersum juvenem fraterna cæde secuta?  
 Conjugis an fido consoler memet amore?  
 Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?  
 Præterea nullo (litus solum) insula tecto:  
 Nec patet egressus pelagi cingentibus undis.  
 Nulla fugæ ratio, nulla spes: omnia muta,  
 Omnia sunt deserta: ostentant omnia lethum.  
 Non tamen ante mihi languescent lumina morte,  
 Nec prius a fesso secedent corpore sensus,  
 Quam justam a Divis exposcam prodita multam,

Cœlestumque fidem postrema comprecer hora.  
 Quare facta virum multantes vindice pœna  
 Eumenides, quibus anguineo redimita capillo  
 Frons exspirantis præportat pectoris iras,  
 Huc huc adventate, meas audite querelas,  
 Quas ego, vœ miseræ, extremis proferre medullis  
 Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.  
 Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,  
 Vos nolite pati nostrum vanescere luctum ;  
 Sed quali solam Theseus me mente reliquit,  
 Tali mente, Deæ, funestet seque suosque.  
 Has postquam mœsto profudit pectore voces,  
 Supplicium sævis exposcens anxia factis ;  
 Annuit invicto Cœlestum numine rector,  
 Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt  
 Æquora, concussitque micantia sidera mundus.  
 Ipse autem cæca mentem caligine Theseus  
 Consitus, oblio dimisit pectore cuncta,  
 Quæ mandata prius constanti mente tenebat :  
 Dulcia nec mœsto sustollens signa parenti,  
 Sospitem, et ereptum se ostendit visere portum.  
 Namque ferunt, olim classi cum mœnia Diæ  
 Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,  
 Talia complexum juveni mandata dedisse :  
 Gnate, mihi longa jucundior unice vita,  
 Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,  
 Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ ;  
 Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus  
 Eripit invito mihi te, quo languida nondum  
 Lumina sunt gnati cara saturata figura :  
 Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,  
 Nec te ferre sinam Fortunæ signa secundæ ;  
 Sed primum multas expromam mente querelas,  
 Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans ;  
 Inde infecta vago suspendam lintea malo,  
 Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis,  
 Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.  
 Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,  
 (Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis  
 Annuit,) ut tauri respergas sanguine dextram ;  
 Tum vero facito, ut memori tibi condita corde

Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas :  
 Ut, simul ac nostros invisent lumina colles,  
 Funestam antennæ deponant undique vestem,  
 Candidaque intorti sustollant vela rudentes ;  
 Quamprimum cernens ut læta gaudia mente  
 Agnoscam, cum te reducem ætas prospera sistet.  
 Hæc mandata prius constanti mente tenentem  
 Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes  
 Aerium nivei montis liquere cacumen.  
 At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,  
 Anxia in assiduos absument lumina fletus,  
 Cum primum inflati conspexit lintea veli,  
 Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit,  
 Amissum credens immiti Thesea fato.  
 Sic funesta domus ingressus tecta paterna  
 Morte, ferox Theseus, qualem Minoidi luctum  
 Attulerat, mente immemori talem ipse recepit.  
 Quæ tamen aspectans cedentem moesta carinam,  
 Multiplices animo volvebat saucia curas.  
 At parte ex alia florens volitabat Iacchus,  
 Cum thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis,  
 Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore :  
 Qui tum alacres passim lymphata mente furebant ;  
 Evœ bacchantes, evœ capita inflectentes,  
 Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrso :  
 Pars e divulso jactabant membra juvenco :  
 Pars sese tortis serpentibus incingebant :  
 Pars obscura cavis celerabant Orgia cistis,  
 Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani :  
 Plangebant alii proceris tympana palmis,  
 Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant :  
 Multi raucisonis efflabant cornua bombis,  
 Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.

# VIRGILIUS.

---

## POLLIO. ECL. IV.

SICELIDES Musæ, paullo majora canamus ;  
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ :  
Si canimus silvas, silvæ sint Consule dignæ.  
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas :  
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo :  
Jam redit et Virgo : redeunt Saturnia regna :  
Jam nova progenies cælo demittitur alto.  
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
Casta fave Lucina : tuus jam regnat Apollo.  
Teque adeo, decus hoc ævi, te Consule, inibit,  
Pollio ; et incipient magni procedere menses.  
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri  
Irrita perpetua solvent formidine terras.  
Ille deum vitam accipiet, divisque videbit  
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,  
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.  
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,  
Errantes hederas passim cum baccare tellus,  
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.  
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ  
Übera : nec magnos metuent armenta leones.  
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.  
Occidet et serpens, et fallax herba veneni  
Occidet : Assyrium vulgo nascetur amomum.  
At simul heroum laudes et facta parentis  
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus ;  
Molli paullatim flavesbet campus arista,  
Incultisque rubens pendebit sentibus uva ;  
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.  
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,  
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris

Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.  
 Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo  
 Delectos heroas ; erunt etiam altera bella :  
 Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.  
 Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,  
 Cedet et ipse mari vector ; nec nautica pinus  
 Mutabit merces : omnis feret omnia tellus.  
 Non rastros patietur humus, non vinea falcem :  
 Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.  
 Nec varios discet mentiri lana colores :  
 Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti  
 Murice, jam croceo mutabit vellera luto :  
 Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.  
 Talia secla, suis dixerunt, currite, fusis  
 Concordes stabili fatorum numine Parcæ.  
 Aggredere o magnos (aderit jam tempus) honores,  
 Cara deûni soboles, magnum Jovis incrementum !  
 Adspice convexo nutantem pondere mundum,  
 Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum :  
 Adspice, venturo lætantur ut omnia seculo.  
 O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,  
 Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta !  
 Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,  
 Nec Linus : huic mater quamvis, atque huic pater adsit :  
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
 Pan etiam, Arcadia mecum si judice certet,  
 Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.  
 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem :  
 Matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
 Incipe, parve puer : cui non risere parentes,  
 Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

---

## GEORGICON LIB. IV.

PASTOR Aristæus, fugiens Peneïa Tempe,  
 Amissis (ut fama) apibus morboque fameque,  
 Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,  
 Multa querens, atque hac affatus voce parentem :  
 ‘ Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus  
 ‘ Ima tenes, quid me præclara stirpe Deorum,

‘ (Si modo, quem perhibes, pater est Thymbræus Apollo,)  
 ‘ Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri  
 ‘ Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?  
 ‘ En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,  
 ‘ Quem mibi vix frugum et pecudum custodia sollers  
 ‘ Omnia tentanti extuderat, te matre, relinqu.  
 ‘ Quin age, et ipsa manu felices erue silvas;  
 ‘ Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes:  
 ‘ Ure sata, et validam in vites molire bipennem:  
 ‘ Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.’

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti  
 Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphæ  
 Carpebant, hyali saturo fucata colore:  
 Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,  
 Cæsariem effusæ nitidam per candida colla;  
 Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque;  
 Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,  
 Altera tum primos Lucinæ experta labores;  
 Clioque, et Beroë soror, Oceanitides ambæ,  
 Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;  
 Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea;  
 Et tandem positis velox Arethusa sagittis.

Inter quas curam Clymene narrabat inanem  
 Vulcani, Martisque dolos et dulcia furta;  
 Aque Chao densos divum numerabat amores.  
 Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa  
 Devolvunt, iterum maternas impulit aures  
 Luctus Aristæi, vitreisque sedilibus omnes  
 Obstupuere: sed ante alias Arethusa sorores  
 Prospiciens, summa flavum caput extulit unda.

Et procul: ‘ O gemitu non frustra exterrita tanto,  
 ‘ Cyrene soror; ipse tibi tua maxima cura  
 ‘ Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam  
 ‘ Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.’

Huic percussa nova mentem formidine mater,  
 ‘ Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divum  
 ‘ Tangere,’ ait: simul alta jubet discedere late  
 Flumina, qua juvenis gressus inferret. At illum  
 Curvata in montis faciem circumstetit unda,  
 Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.

Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes,  
 Ibat, et, ingenti motu stupefactus aquarum,  
**Omnia sub magna labentia flumina terra**  
 Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,  
 Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,  
 Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,  
 Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,  
 Et gemina auratus taurino cornua vultu  
**Eridanus**; quo non aliis per pinguia culta  
 In mare purpureum violentior effluit amnis.  
 Postquam est in thalami pendentia pumice tecta  
 Perventum, et gnati fletus cognovit inanes  
 Cyrene; manibus liquidos dant ordine fontes  
 Germanæ, tonsisque ferunt mantelia villis.  
 Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt  
 Pocula. Panchæis adolescunt ignibus aræ.  
 Et mater, ‘Cape Mæonii carchesia Bacchi:  
 ‘Oceano libemus,’ ait. Simul ipsa precatur  
 Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,  
 Centum quæ silvas, centum quæ flumina servant.  
 Ter liquido ardente perfudit nectare Vestam:  
 Ter flamma ad sumnum tecti subjecta reluxit.  
 Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:  
 ‘Est in Carpathio Neptuni gurgite vates,  
 ‘Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor  
 ‘Et juncto bipedum curru metitur equorum,  
 ‘Hic nunc Emathiæ portus patriamque revisit  
 ‘Pallenæ. Hunc et Nymphæ veneramur, et ipse  
 ‘Grandævus Nereus. Novit namque omnia vates,  
 ‘Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.  
 ‘Quippe ita Neptuno visum est; immania cujus  
 ‘Armenta, et turpes pascit sub gurgite phocas.  
 ‘Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem  
 ‘Expediat morbi causam, eventusque secundet.  
 ‘Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum  
 ‘Orando flectes: vim duram et vincula capto  
 ‘Tende. Doli circum hæc demum frangentur inanes.  
 ‘Ipsa ego te, medios quum sol accenderit æstus,  
 ‘Quum sitiunt herbæ, et pecori jam gratior umbra est,  
 ‘In secreta senis ducam, quo fessus ab undis  
 ‘Se recipit; facile ut somno aggrediare jacentem.

' Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis ;  
 ' Tum variæ eludent species atque ora ferarum.  
 ' Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,  
 ' Squamosusque draco, et fulva cervice leæna :  
 ' Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis  
 ' Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.  
 ' Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,  
 ' Tanto, gnate, magis contendere tenacia vincla :  
 ' Donec talis erit, mutato corpore, qualem  
 ' Videris, incepto tegeret quum lumina somno.'  
 Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffundit odorem :  
 Quo totum nati corpus perduxit. At illi  
 Dulcis compositis spiravit crinibus aura,  
 Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens  
 Exesi latere in montis, quo plurima vento  
 Cogitur, inque sinus sciudit sese unda reductos ;  
 Deprensis olim statio tutissima nautis.  
 Intus se vasti Proteus tegit objice saxi.  
 Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha  
 Collocat : ipsa procul nebulis obscura resistit.  
 Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos  
 Ardebat ; cœlo et medium sol igneus orbem  
 Hauserat : arebant herbæ ; et cava flumina siccis  
 Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant :  
 Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra  
 Ibat. Eum vasti circum gens humida ponti  
 Exsultans rorem late dispersit amarum.  
 Sternunt se somno diversæ in littore phocæ.  
 Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,  
 Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,  
 Auditisque lupos acuunt balatibus agni,  
 Considit scopulo medius, numerumque recenset.  
 Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas,  
 Vix defessa senem passus componere membra,  
 Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem  
 Occupat. Ille suæ contra non immemor artis,  
 Omnia transformat sese in miracula rerum,  
 Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.  
 Verum ubi nulla fugam reperit pellacia, victus  
 In sese redit, atque hominis tandem ore loquutus :  
 ' Nam quis te i... '

' Jussit adire domus ? quidve hinc petis ?' inquit. At ille :  
 ' Scis, Proteu, scis ipse : neque est te fallere quidquam.  
 ' Sed tu desine velle. Deum præcepta sequuti  
 ' Venimus, hinc lapsis quæsitum oracula rebus.'  
 Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multa  
 Ardentes oculos intorsit lumine glauco,  
 Et, graviter frendens, sic fatis ora resolvit :  
 ' Non te nullius exercent numinis iræ.  
 ' Magna luis commissa : tibi has miserabilis Orpheus  
 ' Haudquaquam ob meritum pœnas, ni fata resistant,  
 ' Suscitat ; et rapta graviter pro conjugé sævit.  
 ' Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps,  
 ' Immanem ante pedes hydram moritura puella  
 ' Servantem ripas alta non vidit in herba.  
 ' At chorus æqualis Dryadum clamore supremos  
 ' Impluerunt montes. Flerunt Rhodopeïæ arces,  
 ' Alaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus,  
 ' Atque Getae, atque Hebrus, et Actias Orithyia.  
 ' Ipse, cava solans ægrum testudine amorem,  
 ' Te, dulcis conjux, te solo in littore secum,  
 ' Te veniente die, te decedente canebat.  
 ' Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,  
 ' Et caligantem nigra formidine lucum  
 ' Ingressus, Manesque adjit, Regemque tremendum,  
 ' Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.  
 ' At cantu commotæ Erebi de sedibus imis  
 ' Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum :  
 ' Quam inulta in foliis avium se millia condunt,  
 ' Vesper ubi, aut hibernus agit de montibus imber :  
 ' Matres, atque viri, defunctaque corpora vita  
 ' Magnanimum heroum, pueri, innuptæque puellæ,  
 ' Impositique rogis juvenes ante ora parentum :  
 ' Quos circum limus niger, et deformis arundo  
 ' Cocytii, tardaque palus inamabilis unda  
 ' Alligat, et novies Styx interfusa coërcet.  
 ' Quin ipsæ stupuere domus, atque intima Lethi  
 ' Tartara, cæruleosque implexæ crinibus angues  
 ' Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,  
 ' Atque Ixionii vento rota constitit orbis.  
 ' Jamque pedem referens casus evaserat omnes,  
 ' Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,

' Pone sequens ; namque hanc dederat Proserpina legem :  
 ' Quum subita incautum dementia cepit amantem,  
 ' Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.  
 ' Restitit, Eurydicenque suam, jam luce sub ipsa,  
 ' Immemor, heu ! victusque animi, respexit. Ibi omnis  
 ' Effusus labor, atque immritis rupta tyranni  
 ' Fœdera, terque fragor stagnis auditus Avernus.  
 ' Illa, ' Quis et me,' inquit, ' miseram, et te perdidit, Orpheu ?  
 ' Quis tantus furor ? en iterum crudelia retro  
 ' Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.  
 ' Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,  
 ' Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas !'  
 ' Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras  
 ' Commixtus tenues, fugit diversa : neque illum  
 ' Presentam nequicquam umbras, et multa volentem  
 ' Dicere, præterea vidit ; nec portitor Orci  
 ' Amplius objectam passus transire paludem.  
 ' Quid faceret ? quo se raptâ bis conjugâ ferret ?  
 ' Quo fletu Manes, qua Numinâ voce moveret ?  
 ' Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.  
 ' Septem illum totos perhibent ex ordine menses  
 ' Rupe sub aëria, deserti ad Strymonis undam  
 ' Flevisse, et gelidis hæc evolvisse sub antris,  
 ' Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.  
 ' Qualis populea mœrens Philomela sub umbra  
 ' Amissos queritur fœtus ; quos durus arator  
 ' Observans nido implumes detraxit : at illa  
 ' Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen  
 ' Integrat, et mœstis late loca questibus implet.  
 ' Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenæi.  
 ' Solus Hyperboreas glacies, Tanaïmque nivalem,  
 ' Arvaque Rhipæis numquam viduata pruinis  
 ' Lustrabat, raptam Eurydicen atque irrita Ditis  
 ' Dona querens. Spretæ Ciconum quo munere matres,  
 ' Inter sacra Deum, nocturnique orgia Bacchi,  
 ' Discerptum latos juvenem sparsere per agros.  
 ' Tum quoque marmorea caput a cervice revulsu/  
 ' Gurgite quum medio portans Æagrius Hebrus  
 ' Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,  
 ' Ah miseram Eurydicen ! anima fugiente vocabat :  
 ' Eurydicen tote referabant flumine rinx '

## ÆNEIDOS LIB. VI.

CONTINUO auditæ voces, vagitus et ingens,  
 Infantumque animæ flentes in limine primo :  
 Quos dulcis vitæ exsortes, et ab ubere raptos,  
 Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.  
 Hos juxta falso damnati crimine mortis.  
 Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes.  
 Quæsitor Minos urnam movet : ille silentum  
 Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.  
 Proxima deinde tenent mæsti loca, qui sibi letum  
 Insontes peperere manu, lucemque perosi  
 Projecere animas. Quam vellent æthere in alto  
 Nunc et pauperiem et duros perferre labores !  
 Fas obstat, tristique palus inamabilis unda  
 Adligat, et novies Styx interfusa coerct.  
 Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem  
 Lugentes campi : sic illos nomine dicunt.  
 Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,  
 Secreti celant calles, et myrtlea circum  
 Silva tegit. Curæ non ipsa in morte relinquunt.  
 His Phædram Procrinque locis, mæstamque Eriphylen  
 Crudelis nati monstrantem volnera cernit,  
 Evadnenque, et Pasiphaën : his Laodamia  
 It comes, et juvenis quondam, nunc femina, Cænis,  
 Rursus et in veterem fato revoluta figuram.  
 Inter quas Phœnissa recens a volnere Dido  
 Errabat silva in magna : quam Troius heros,  
 Ut primum juxta stetit, adgnovitque per umbram  
 Obscuram, qualem primo qui surgere mense  
 Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam,  
 Dein sit lacrimas, dulcique adfatus amore est :  
 ‘ Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo  
 ‘ Venerat, exstinctam, ferroque extrema secutam !  
 ‘ Funeris heu tibi caussa fui ! Per sidera juro,  
 ‘ Per superos, et si qua fides tellure sub ima est ;  
 ‘ Invitus, regina, tuo de littore cessi :  
 ‘ Sed me jussa deūm, quæ nunc has ire per umbras,  
 ‘ Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam,  
 ‘ Imperiis egere suis : nec credere quivi  
 ‘ Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.

' Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.  
 ' Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor, hoc est.'  
 Talibus Æneas ardente et torva tuentem  
 Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.  
 Illa solo fixos oculos aversa tenebat:  
 Nec magis incepto voltum sermone movetur,  
 Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.  
 Tandem corripuit sese, atque inimica refugit  
 In nemus umbriferum: conjunx ubi pristinus illi  
 Respondet curis, æquatque Sychæus amorem.  
 Nec minus Æneas, casu percussus iniquo,  
 Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.

Inde datum molitur iter. Jamque arva tenebant  
 Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.  
 Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis  
 Parthenopæus, et Adrasti pallentis imago.  
 Hic multum fleti ad superos, belloque caduci  
 Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens  
 Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,  
 Tres Antenoridas, Cererique sacrum Polyphœten,  
 Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.  
 Circumstant animæ dextra lœvaeque frequentes.  
 Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari,  
 Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.  
 At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges,  
 Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,  
 Ingenti trepidare metu. Pars vertere terga,  
 Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem  
 Exiguam. Inceptus clamor frustratur hiantes.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto  
 Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,  
 Ora manusque ambas, populataque tempora raptis  
 Auribus, et trunca. in honesto volnere nares.  
 Vix adeo adgnovit pavitatem, et dira tegentem  
 Supplicia; et notis compellat vocibus ulti:  
 ' Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,  
 ' Quis tam crudeles optavit sumere pœnas?  
 ' Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema  
 ' Nocte tulit, fessum vasta te cæde Pelasgum  
 ' Procubuisse super confusæ stragis acervum.  
 ' Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem

‘ Constitui, et magna Manes ter voce vocavi.  
 ‘ Nomen et arma locum servant. Te, amice, nequivi  
 ‘ Conspicere, et patria decedens ponere terra.’  
 Ad quæ hæc Priamides : ‘ Nihil o tibi, amice, relictum :  
 ‘ Omnia Deiphobo solvisti, et funeris umbris.  
 ‘ Sed me fata mea et scelus exitiale Lacænæ  
 ‘ His mersere malis : illa hæc monumenta reliquit.  
 ‘ Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem  
 ‘ Egerimus, nosti ; et nimium meminisse necesse est.  
 ‘ Quum fatalis equus saltu super ardua venit  
 ‘ Pergaīna, et armatum peditem gravis attulit alvo :  
 ‘ Illa, chorum simulans, evantes orgia circum  
 ‘ Ducebat Phrygias : flammam media ipsa tenebat  
 ‘ Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.  
 ‘ Tum me, confectum curis somnoque gravatum,  
 ‘ Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem  
 ‘ Dulcis et alta quies, placidæque simillima morti.  
 ‘ Egregia interea conjunx arma omnia tectis  
 ‘ Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem ;  
 ‘ Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit.  
 ‘ Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,  
 ‘ Et famam extingui veterum sic posse malorum.  
 ‘ Quid moror ? irruimpunt thalamo. Comes additus una  
 ‘ Hortator scelerum Æolides. Dî, talia Graiis  
 ‘ Instaurate ; pio si pœnas ore reposco.  
 ‘ Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,  
 ‘ Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,  
 ‘ An monitu divûm ? an quæ te Fortuna fatigat,  
 ‘ Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires ?’  
 Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis  
 Jam medium ætherio cursu trajecerat axem :  
 Et fors omne datum traherent per talia tempus :  
 Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est :  
 ‘ Nox ruit, Ænea ; nos flendo ducimus horas.  
 ‘ Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas :  
 ‘ Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit ;  
 ‘ Hac iter Elysium nobis ; at læva malorum  
 ‘ Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.’  
 Deiphobus contra : ‘ Ne sævi, magna sacerdos :  
 ‘ Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.  
 ‘ I decus, i, nostrum ; melioribus utere fatis.’

Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.

Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra  
 Mœnia lata videt, triplici circumdata muro :  
 Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis  
 Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.  
 Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ :  
 Vis ut nulla virūm, non ipsi exscindere ferro  
 Cœlicolæ valeant. Stat ferrea turris ad auras :  
 Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,  
 Vestibulum exsommis servat noctesque diesque.  
 Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare  
 Verbera : tum stridor ferri, tractæque catenæ.  
 Constitit Aeneas, strepitumque exterritus hausit :  
 ‘ Quæ scelerum facies ? o virgo, effare : quibusve  
 ‘ Urguentur pœnis ? qui tantus plangor ad auras ?’  
 Tum vates sic orsa loqui : ‘ Dux inclute Teucrūm,  
 ‘ Nulli fas casto sceleratum insistere limen :  
 ‘ Sed me, quum lucis Hecate præfecit Avernus,  
 ‘ Ipsa deūm pœnas docuit, perque omnia duxit.  
 ‘ Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,  
 ‘ Castigatque auditque dolos ; subigitque fateri,  
 ‘ Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,  
 ‘ Distulit in seram commissa piacula mortem.  
 ‘ Continuo sontes ultrix accincta flagello  
 ‘ Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra  
 ‘ Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.  
 ‘ Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ  
 ‘ Panduntur portæ. Cernis, custodia qualis  
 ‘ Vestibulo sedeat ? facies quæ limina servet ?  
 ‘ Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra  
 ‘ Sævior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse  
 ‘ Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,  
 ‘ Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.  
 ‘ Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes,  
 ‘ Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.  
 ‘ Hic et Aloïdas geminos, immania vidi  
 ‘ Corpora : qui manibus magnum rescindere cœlum  
 ‘ Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.  
 ‘ Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,  
 ‘ Dum flamas Jovis et sonitus imitatur Olympi.  
 ‘ Quatuor hic injectus equis, et lampada ouassans

' Per Graiūm populos mediæque per Elidis urbem  
 ' Ibat ovans, Divōmque sibi poscebat honorem :  
 ' Demens ! qui nimbos, et non imitabile fulmen  
 ' Ære et cornipedum pulsu simularet equorum.  
 ' At pater omnipotens densa inter nubila telum  
 ' Contorsit ; non ille faces, nec fumea tædis  
 ' Lumina ; præcipitemque immani turbine adegit.  
 ' Nec non et Tityon, Terræ omniparentis alumnum,  
 ' Cernere erat : per tota novem cui jugera corpus  
 ' Porrigitur : rostroque immanis voltur obunco  
 ' Immortale jecur tondens, secundaque pœnis  
 ' Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto  
 ' Pectore : nec fibris requies datur ulla renatis.  
 ' Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque ?  
 ' Quos super atra silex jam jam lapsura, carentique  
 ' Imminet adsimilis : lucent genialibus altis  
 ' Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ  
 ' Regifico luxu : Furiarum maxuma juxta  
 ' Accubat, et manibus prohibet contingere mensas ;  
 ' Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.  
 ' Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,  
 ' Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti ;  
 ' Aut qui divitiis soli incubuere repertis,  
 ' Nec partem posuere suis ; quæ maxima turba est :  
 ' Quique ob adulterium cæsi : quique arma secuti  
 ' Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,  
 ' Inclusi pœnam exspectant. Ne quære doceri,  
 ' Quam pœnam ; aut quæ forma viros, fortunave mersit.  
 ' Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum  
 ' Districti pendent : sedet, æternumque sedebit,  
 ' Infelix Theseus : Phlegyasque miserrimus omnes  
 ' Admonet, et magna testatur voce per umbras :  
 ' Discite justitiam moniti, et non temnere divos.'  
 ' Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem  
 ' Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.  
 ' Hic thalamum invasit natæ vetitosque hymenæos.  
 ' Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.  
 ' Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,  
 ' Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,  
 ' Omnia pœnarum percurrere nomina possim.'

Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos :

' Sed jam age, carpe viam, et susceptum perfice munus :  
 ' Acceleremus,' ait. ' Cyclopum educta caminis  
 ' Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas,  
 ' Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.'  
 Dixerat ; et pariter, gressi per opaca viarum,  
 Corripiunt spatiū medium, foribusque propinquant.  
 Occupat Æneas aditum, corpusque recenti  
 Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.

His demum exactis, perfecto munere divæ,  
 Devenere locos lætos, et amœna vireta  
 Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.  
 Largior h̄ic campos æther et lumine vestit  
 Purpureo ; solemque suum, sua sidera norunt.  
 Pars in gramineis exercent membra palæstris ;  
 Contendunt ludo, et fulva luctantur arena :  
 Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.  
 Nec non Threicius longa cum veste sacerdos  
 Obloquitur numeris septem discrimina vocum :  
 Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.  
 H̄ic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,  
 Magnanimi heroës, nati melioribus annis,  
 Ilusque, Assaracusque, et Trojæ Dardanus auctor.  
 Arma procul, currusque virûm miratur inanes.  
 Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti  
 Per campos pascuntur equi. Quæ gratia currûm  
 Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes  
 Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.  
 Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam  
 Vescentes, lætumque choro Pæana canentes,  
 Inter odoratum lauri nemus : unde superne  
 Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.  
 H̄ic manus, ob patriam pugnando volnera passi,  
 Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,  
 Quique pii vates, et Phœbo digna locuti,  
 Inventas aut qui vitam excoluere per artes,  
 Quique sui memores alios fecere merendo :  
 Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.  
 Quos circumfusos sic est affata Sibylla,  
 Musæum ante omnes ; medium nam plurima turba  
 Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis :  
 ' Dicite, felices animæ, tuque, optime vates ;

' Quæ regio Anchisen, quis habet locus ? illius ergo  
 ' Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnes.'  
 Atque huic responsum paucis ita reddidit heros :  
 ' Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,  
 ' Riparumque toros et prata recentia rivis  
 ' Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,  
 ' Hoc superate jugum ; et facili jam tramite sistam.'

Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes  
Desuper ostentat : dehinc summa cacumina linquunt.

At pater Anchises penitus convalle virenti  
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,  
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum  
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,  
Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque.  
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit  
Ænean, alacris palmas utrasque tetendit ;  
Effusæque genis lacrimæ ; et vox excidit ore :  
 ' Venisti tandem, tuaque spectata parenti  
 ' Vicit iter durum pietas ? datur ora tueri,  
 ' Nate, tua ; et notas audire et reddere voces ?  
 ' Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,  
 ' Tempora dinumerans : nec me mea cura sefellit.  
 ' Quas ego te terras, et quanta per æquora vectum  
 ' Accipio ! quantis jactatum, nate, periclis !  
 ' Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent !'  
 Ille autem : ' Tua me, genitor, tua tristis imago,  
 ' Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.  
 ' Stant sale Tyrrheno classes. Da jungere dextram,  
 ' Da, genitor ; teque amplexu ne subtrahe nostro.'  
 Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.  
 Ter conatus ibi collo dare brachia circum :  
 Ter frustra comprehensa manus effugit imago,  
 Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Interea videt Æneas in valle reducta  
Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis,  
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.  
Hunc circum innumeræ gentes populique volabant ;  
Ac, veluti in pratis, ubi apes æstate serena  
Floribus insidunt variis, et candida circum  
Lilia funduntur : strepit omnis inurmure campus.  
Horrescit visu subito, caussasque requirit

Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porro,  
 Quive viri tanto complerint agmine ripas.  
 Tum pater Anchises : ‘ Animæ, quibus altera fato  
 ‘ Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam  
 ‘ Securos latices et longa oblivia potant.  
 ‘ Has equidem memorare tibi atque ostendere coram  
 ‘ Jampridem, hanc prolem cupio enumerare meorum :  
 ‘ Quo magis Italia mecum lætere reperta.’  
 ‘ O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est  
 ‘ Sublimes animas, iterumque in tarda reverti  
 ‘ Corpora ? quæ lucis miseris tam dira cupido ?’  
 ‘ Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo,’  
 Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.  
 ‘ Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,  
 ‘ Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,  
 ‘ Spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
 ‘ Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.  
 ‘ Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,  
 ‘ Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.  
 ‘ Igneus est ollis vigor et cœlestis origo  
 ‘ Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,  
 ‘ Terrenique hebetant artus moribundaque membra.  
 ‘ Hinc metuunt, cupiuntque : dolent, gaudentque : neque  
     ‘ auras  
 ‘ Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.  
 ‘ Quin et supremo quum lumine vita reliquit,  
 ‘ Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes  
 ‘ Corporeæ excedunt pestes : penitusque necesse est  
 ‘ Multa diu concreta modis inolescere miris.  
 ‘ Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum  
 ‘ Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes  
 ‘ Suspensæ ad ventos : aliis sub gurgite vasto  
 ‘ Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni ;  
 ‘ Quisque suos patimur Manes : exinde per amplum  
 ‘ Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus :  
 ‘ Donec longa dies, perfecto temporis orbe,  
 ‘ Concretam exemit labem, purumque reliquit  
 ‘ Ætherium sensum, atque aurai simplicis ignem.  
 ‘ Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,  
 ‘ Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno :

‘ Rursus et incipient in corpora velle reverti.’

Dixerat Anchises : natumque unaque Sibyllam

Conventus trahit in medios, turbamque sonantem :

Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit

Adversos legere, et venientum discere voltus.

‘ Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur

‘ Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,

‘ Illustres animas, nostrumque in nomen ituras,

‘ Expediam dictis, et te tua fata docebo.

‘ Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta,

‘ Proxima sorte tenet lucis loca ; primus ad auras

‘ Ætherias Italo commixtus sanguine surget

‘ Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles :

‘ Quem tibi longævo serum Lavinia conjux

‘ Educet silvis regem, regumque parentem :

‘ Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.

‘ Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,

‘ Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet

‘ Silvius Æneas, pariter pietate vel armis

‘ Egregius, si umquam regnandam acceperit Albam.

‘ Qui juvenes quantas ostentant, adspice, vires !

‘ Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.

‘ Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,

‘ Hi Collatinas imponent montibus arces,

‘ Laude pudicitiae celebres, addentque superbos

‘ Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.

‘ Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.

‘ Quin et avo comitem sese Mavortius addet

‘ Romulus ; Assaraci quem sanguinis Ilia mater

‘ Educet. Viden’ ut geminæ stant vertice cristæ,

‘ Et Pater ipse suo superum jam signat honore ?

‘ En, hujus, nate, auspiciis illa incluta Roma

‘ Imperium terris, animos æquabit Olympo,

‘ Septemque una sibi muro circumdabit arces,

‘ Felix prole virum. Qualis Berecyntia Mater

‘ Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,

‘ Læta deum partu, centum complexa nepotes,

‘ Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes.

‘ Huc geminas nunc flecte acies : hanc adspice gentem,

‘ Romanosque tuos. Hic Cæsar, et omnis Iüli

‘ Progenies, magnum cœli ventura sub axem.

' Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,  
 ' Augustus Cæsar, Divi genus : aurea condet  
 ' Secula qui rursus Latio, regnata per arva  
 ' Saturno quondam : super et Garamantas et Indos  
 ' Proferet imperium ; jacet extra sidera tellus,  
 ' Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas  
 ' Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.  
 ' Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna  
 ' Responsis horrent Divum, et Mæotia tellus,  
 ' Et septen gemini turbant trepida ostia Nili.  
 ' Nec vero Alcides tantum telluris obivit ;  
 ' Fixerit æripedem cervam licet aut Erymanthi  
 ' Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu :  
 ' Nec, qui paupi neis victor juga flectit habenis,  
 ' Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.  
 ' Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis ?  
 ' Aut metus Ausonia prohibet consistere terra ?  
 ' Quis procul ille autem ramis insignis olivæ  
 ' Sacra ferens ? nosco crines incanaque menta  
 ' Regis Romani ; primus qui legibus urbem  
 ' Fundabit, Curibus parvis et paupere terra  
 ' Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,  
 ' Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit  
 ' Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis  
 ' Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus,  
 ' Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.  
 ' Vis et Tarquinios reges, animaque superbam  
 ' Ultoris Bruti, fascesque videre receptos ?  
 ' Consulis imperium hic primus sævasque secures  
 ' Accipiet ; natosque pater, nova bella moventes,  
 ' Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit,  
 ' Infelix ! Utcumque ferent ea facta minores ;  
 ' Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.  
 ' Quin Decios, Drusosque procul, sœvumque securi  
 ' Adspice Torquatum, et referentem signa Camillum.  
 ' Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,  
 ' Concordes animæ nunc, et dum nocte prementur,  
 ' Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ  
 ' Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt !  
 ' Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci  
 ' Descendens ; gener adversis instructus Eois.

' Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella :  
 ' Neu patriæ validas in viscera vertite vires.  
 ' Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo ;  
 ' Projice tela manu, sanguis meus.  
 ' Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho  
 ' Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.  
 ' Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,  
 ' Ipsiusque Æaciden, genus armipotentis Achilli ;  
 ' Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ.  
 ' Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat ?  
 ' Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,  
 ' Scipiadas, cladem Libyæ, parvoque potentem  
 ' Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem ?  
 ' Quo fessum rapitis, Fabii ? tu Maximus ille es,  
 ' Unus qui nobis cunctando restituis rem.  
 ' Excudent alii spirantia mollius æra :  
 ' Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus :  
 ' Orabunt caussas melius : cœlique meatus  
 ' Describent radio, et surgentia sidera dicent :  
 ' Tu regere imperio populos, Romane, memento ;  
 ' Hæ tibi erunt artes ; pacisque imponere morem,  
 ' Parcere subjectis, et debellare superbos.'

Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit :  
 ' Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis  
 ' Ingreditur, victorque viros supereminet omnes !  
 ' Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,  
 ' Sistet, eques sternet Pœnos, Gallumque rebellem,  
 ' Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.'  
 Atque hæc Æneas ; una namque ire videbat  
 Egregium forma juvenem et fulgentibus armis,  
 Sed frons læta parum, et dejecto lumina voltu :  
 ' Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem ?  
 ' Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum ?  
 ' Qui strepitus circa comitum ! quantum instar in ipso est !  
 ' Sed Nox atra caput tristi circumvolat umbra.'  
 Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis :  
 ' O nate, ingentem luctum ne quære tuorum :  
 ' Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra  
 ' Esse sinent. Nimium vobis Romana propago  
 ' Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.  
 ' Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem

' Campus aget gemitus ! vel quæ, Tiberine, videbis  
 ' Funera, quum tumulum præterlabere recentem !  
 ' Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos  
 ' In tantum spe tollet avos : nec Romula quondam  
 ' Ullo se tantum tellus jactabit alumno.  
 ' Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello  
 ' Dextera ! non illi se quisquam impune tulisset  
 ' Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,  
 ' Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.  
 ' Heu, miserande puer ! si qua fata aspera rumpas,  
 ' Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis :  
 ' Purpureos spargam flores, animamque nepotis  
 ' His saltem accuinulem donis, et fungar inani  
 ' Munere.' Sic tota passim regione vagantur  
 Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.  
 Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,  
 Incenditque animum famæ venientis amore ;  
 Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda,  
 Laurentesque docet populos, urbemque Latini ;  
 Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.

# H O R A T I U S.

---

## LIB. I. CARM. XXVIII.

### ARCHYTAS.

Te maris et terræ numeroque carentis arenæ  
Mensorem cohibent, Archyta,  
Pulveris exigui prope litus parva Matinum  
Munera : nec quidquam tibi prodest  
Aerias tentasse domos, animoque rotundum  
Percurrisse polum, morituro.  
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,  
Tithonusque remotus in auras,  
Et Jovis arcanis Minos admissus : habentque  
Tartara Panthoiden, iterum Orco  
Demissum ; quamvis, clypeo Trojana refixo  
Tempora testatus, nihil ultra  
Nervos atque cutem Morti concesserat atræ ;  
Judice te non sordidus auctor  
Naturæ verique. Sed omnes una manet nox,  
Et calcanda semel via leti.  
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti :  
Exitio est avidum mare nautis :  
Mixta senum ac juvenum densusentur funera ; nullum  
Sæva caput Proserpina fugit.  
Me quoque devexi rapidus comes Orionis  
Illyricis Notus obruit undis.  
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ  
Ossibus et capiti inhumato  
Particulam dare : sic, quodcunque minabitur Eurus  
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ  
Plectantur silvæ, te sospite, multaque merces,  
Unde potest, tibi defluat æquo  
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.  
Negligis immeritis nocitaram  
Postmodo te natis fraudem committere ? Fors et

Debita jura vicesque superbæ  
 Te maneant ipsum : precibus non linquar inultis ;  
 Teque piacula nulla resolvent.  
 Quamquam festinas, non est mora longa, licebit  
 Injecto ter pulvere curras.

## LIB. II. CARM. II.

## AD CRISPUM SALLUSTIUM.

NULLUS argento color est, avaris  
 Abdito terris, inimice lamnæ  
 Crispe Sallusti, nisi temperato  
 Splendeat usu.  
 Vivet extento Proculeius ævo  
 Notus in fratres animi paterni :  
 Illum ager penna metuente solvi  
 Fama superstes.  
 Latius regnes avidum domando  
 Spiritum, quam si Libyam remotis  
 Gadibus jungas, et uterque Pœnus  
 Serviat uni.  
 Crescit indulgens sibi dirus hydrops,  
 Nec sitim pellit, nisi causa morbi  
 Fugerit venis, et aquosus albo  
 Corpore languor.  
 Redditum Cyri solio Phraatem  
 Dissidens plebi numero beatorum  
 Exiunt Virtus, populumque falsis  
 Dedocet uti  
 Vocibus ; regnum et diadema tutum  
 Deferens uni propriamque laurum,  
 Quisquis ingentes oculo irretorto  
 Spectat acervos.

## CARMEN III.

## AD DELLIUM.

ÆQUAM memento rebus in arduis  
 Servare mentem, non secus in bonis  
 Ab insolenti temperatam  
 Lætitia, moriture Delli,

Seu mœstus omni tempore vixeris,  
 Seu te in remoto gramine per dies  
     Festos reclinatum bearis  
         Interiore nota Falerni,  
 Qua pinus ingens albaque populus  
     Umbram hospitalem consociare amant  
         Ramis, et obliquo laborat  
             Lympha fugax trepidare rivo :  
 Huc vina, et unguenta, et nitrium brevis  
 Flores amœnos ferre jube rosæ,  
     Dum res et ætas et Sororum  
         Fila trium patiuntur atra.  
 Cedès coemtis saltibus et domo,  
 Villaque, flavus quam Tiberis lavit,  
     Cedes, et exstructis in altum  
         Divitiis potietur hæres.  
 Divesne prisco natus ab Inacho,  
 Nil interest, an pauper et infima  
     De gente, sub divo moreris,  
         Victima nil miserantis Orci.  
 Omnes eodem cogimur : omnium  
 Versatur urna serius ocios  
     Sors exitura, et nos in æternum  
         Exsiliū impositura cymbæ.

## LIB. II. CARM. VI.

## AD SEPTIMIUM.

SEPTIMI, Gades aditure mecum, et  
 Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et  
 Barbaras Syrtes, ubi Maura semper  
     Æstuat unda :  
 Tibur, Argeo positum colono,  
 Sit meæ sedes utinam senectæ ;  
 Sit modus lasso maris et viarum  
     Militiæque.  
 Unde si Parcæ prohibent iniquæ,  
 Dulce pellitis ovibus Galæsi  
 Flumen et regnata petam Laconi  
     Rura Phalantho.  
 Ille terrarum mihi prætor evanesc

Angulus ridet, ubi non Hymetto  
 Mella decedunt, viridiique certat  
     Bacca Venafro.

Ver ubi longum tepidasque præbet  
 Jupiter brumas : et amicus Aulon  
 Fertili Baccho minimum Falernis  
     Invidet uvis.

Ille te mecum locus et beatæ  
 Postulant arces : ibi tu calentem  
 Debita sparges lacrima favillam  
     Vatis amici.

## LIB. II. CARM. XVIII.

Non ebur neque aureum  
     Mea renidet in domo lacunar :  
 Non trabes Hymettiæ  
     Premunt columnas ultima recisas  
 Africa : neque Attali  
     Ignotus hæres regiam occupavi :  
 Nec Laconicas mihi  
     Trahunt honestæ purpuræ clientæ.  
 At fides et ingenî  
     Benigna vena est ; pauperemque dives  
 Me petit. Nihil supra  
     Deos laccesso : nec potentem amicum  
 Largiora flagito,  
     Satis beatus unicis Sabinis.  
 Truditur dies die,  
     Novæque pergunt interire Lunæ :  
 Tu secanda marmora  
     Locas sub ipsum funus ; et sepulchri  
 Immemor, struis domos ;  
     Marisque Baiis obstrepentis urges  
 Submovere litora,  
     Parum locuples continente ripa.  
 Quid ? quod usque proximos  
     Revallis agri terminos, et ultra  
 Limites clientium

In sinu ferens Deos

Et uxor, et vir, sordidosque natos.  
Nulla certior tamen

Rapacis Orci fine destinata  
Aula divitem manet

Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus  
Pauperi recluditur

Regumque pueris: nec satelles Orci  
Callidum Promethea

Revexit auro captus. Hic superbum  
Tantulum, atque Tantali

Genus coercet; hic levare functum  
Pauperem laboribus

Vocatus atque non vocatus audit.

## LIB. III. CARM. XXIV.

INTACTIS opulentior

Thesauris Arabum et divitis Indiæ,  
Cæmentis licet occupies

Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,  
Si figit adamantino

Summis verticibus dira Necessitas  
Clavos, non animum metu

Non Mortis laqueis expedies caput.  
Campestres melius Scythæ,

Quorum plastra vagas rite trahunt domos,  
Vivunt, et rigidi Getæ:

Inmetata quibus jugera liberas  
Fruges et Cererem ferunt,

Nec cultura placet longior annua:  
Defunctumque laboribus

Aequali recreat sorte vicarius.  
O quis, quis volet impias

Cædes et rabiem tollere civicam,  
Si quærer Pater Urbium

Subscribi statuis, indomitam audeat  
Refrenare licentiam,

Clarus postgenitis, quatenus, heu nefas,  
Virtutem incolumem edimus

Quid tristes querimoniæ,  
     Si non suppicio culpa reciditur ?  
 Quid leges, sine moribus  
     Vanæ, proficiunt, si neque fervidis  
 Pars inclusa caloribus  
     Mundi, nec Boreæ finitimum latus,  
 Durataeque solo nives,  
     Mercatorem abigunt ? horrida callidi  
 Vincunt æquora navitæ ?  
     Magnum pauperies obprobrium jubet  
 Quidvis et facere et pati,  
     Virtutisque viam deserit arduæ ?  
 Vel nos in Capitolium,  
     Quo clamor vocat et turba faventium,  
 Vel nos in mare proximum  
     Gemmas, et lapides, aurum et inutile,  
 Summi materiem mali,  
     Mittamus, scelerum si bene pœnitet.  
 Eradenda cupidinis  
     Pravi sunt elementa : et teneræ nimis  
 Mentes asperioribus  
     Foruandæ studiis. Nescit equo radis  
 Hærere ingenuus puer,  
     Venarique timet ; ludere doctior,  
 Seu Græco jubeas trocho,  
     Seu malis vetita legibus alea :  
 Quum perjura patris fides  
     Consortem socium fallat et hospitem,  
 Indignoque pecuniam  
     Hæredi properet. Scilicet improbæ  
 Crescunt divitiæ : tamen  
     Curtæ nescio quid semper abest rei.

## EPOD. CARM. II.

BEATUS ille, qui procul negotiis,  
     Ut prisca gens mortalium,  
 Paterna rura bubus exercet suis ;  
     Solutus omni fœnore.  
 Neque excitatur classico miles truci,  
     Neque horret iratum mare ;

Forumque vitat, et superba civium  
     Potentiorum limina.  
 Ergo aut adulta vitium propagine  
     Altas maritat populos,  
 Inutilesque falce ramos amputans  
     Feliciores inserit ;  
 Aut in reducta valle mugientium  
     Prospectat errantes greges ;  
 Aut pressa puris mella condit amphoris ;  
     Aut tondet infirmas oves ;  
 Vel, quum decorum mitibus pomis caput  
     Auctumnus arvis extulit,  
 Ut gaudet insitiva decerpens pyra,  
     Certantem et uvam purpuræ,  
 Qua muneretur te, Priape, et te, pater  
     Silvane, tutor finium.  
 Libet jacere, modo sub antiqua ilice,  
     Modo in tenaci gramine.  
 Labuntur altis interim ripis aquæ,  
     Queruntur in silvis aves,  
 Frondesque lymphis obstrepunt manantibus,  
     Somnos quod invitet leves.  
 At quum Tonantis annus hibernus Jovis  
     Imbres nivesque comparat,  
 Aut trudit acres hinc et hinc multa cane  
     Apros in obstantes plagas ;  
 Aut amite levi rara tendit retia,  
     Turdis edacibus dolos ;  
 Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,  
     Jucunda captat præmia.  
 Quis non malarum, quas amor curas habet,  
     Hæc inter obliviscitur ?  
 Quod si pudica mulier in partem juvet  
     Domum atque dulces liberos,  
 Sabina qualis, aut perusta solibus  
     Pernicis uxor Appuli,  
 Sacrum et vetustis exstruat lignis focum,  
     Lassi sub adventum viri :  
 Claudensque textis cratibus lætum pecus  
     Distenta siccet ubera ;  
 Et horna dulci vina promens dolio,

Dapes inemtas appareat ;  
 Non me Lucrina juverint conchylia,  
     Magisve rhombus, aut scari,  
 Si quos Eois intonata fluctibus  
     Hiems ad hoc vertat mare ;  
 Non Afra avis descendat in ventrem meum,  
     Non attagen Ionicus  
 Jucundior, quam lecta de pinguissimis  
     Oliva ramis arborum,  
 Aut herba lapathi prata amantis, et gravi  
     Malvæ salubres corpori ;  
 Vel agna festis cæsa Terminalibus,  
     Vel hœdus ereptus lupo.  
 Has inter epulas, ut juvat pastas oves  
     Videre properantes domum !  
 Videre fessos vomerem inversum boves  
     Collo trahentes languido !  
 Positosque vernas, ditis examen domus,  
     Circum renidentes Lares !

## EPOD. CARM. V.

## IN CANDIDIAM VENEFICAM.

At, O Deorum quicquid in cælo regit  
     Terras et humanum genus !  
 Quid iste fert tumultus ? aut quid omnium  
     Vultus in unum me truces ?  
 Per liberos te, si vocata partibus  
     Lucina veris adfuit,  
 Per hoc inane purpuræ decus precor,  
     Per improbaturum hæc Jovem,  
 Quid ut noverca me intueris, aut uti  
     Petita ferro bellua ?  
 Ut hæc tremente questus ore constitit  
     Insignibus raptis puer,  
 Impube corpus, quale posset impia  
     Mollire Thracum pectora ;  
 Canidia, brevibus implicata viperis  
     Crines et incomtum caput,  
 Jubet sepulchris caprificos erutas,  
     Jubet cupressus funebres,

Et uncta turpis ova ranæ sanguine,  
     Plumamque nocturnæ strigis,  
 Herbasque, quas Iolcos atque Iberia  
     Mittit, venenorū ferax,  
 Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,  
     Flammis aduri Colchicis.  
 At expedita Sagana per totam domum  
     Spargens Avernales aquas,  
 Horret capillis, ut marinus, asperis,  
     Echinus, aut Laurens aper.  
 Abacta nulla Veia conscientia  
     Ligonibus duris humum  
 Exhauriebat, ingemens laboribus ;  
     Quo posset infossus puer  
 Longo die bis terque niutatæ dapis  
     Inemori spectaculo :  
 Quin promineret ore, quantum extant aqua  
     Suspensa mento corpora :  
 Exsucta uti medulla, et aridum jecur  
     Amoris esset poculum :  
 Interminato quum semel fixæ cibo  
     Intabuissent pupulæ.  
 Non defuisse masculæ libidinis  
     Ariminensem Foliam,  
 Et otiosa credidit Neapolis,  
     Et omne vicinum oppidum :  
 Quæ sidera excantata voce Thessala,  
     Lunamque cælo deripit.  
 Hic irresectum sæva dente livido  
     Canidia rodens pollicem,  
 Quid dixit ? aut quid tacuit ? O rebus meis  
     Non infideles arbitræ,  
 Nox, et Diana, quæ silentium regis,  
     Arcana quum fiunt sacra,  
 Nunc nunc adeste : nunc in hostiles domos  
     Iram atque numen vertite.  
 Formidolosæ dum latent silvis feræ,  
     Dulci sopore languidæ,  
 Senem, quod omnes rideant, adulterum  
     Latrent Suburanæ canes,

Nardo perunctum, quale non perfectius  
     Mæe laborarint manus.  
 Quid accidit? cur dira barbaræ minus  
     Venena Medeæ valent,  
 Quibus superbam fugit ulta pellicem  
     Magni Creontis filiam,  
 Quum palla, tabo munus imbutum, novam  
     Incendio nuptam abstulit?  
 Atqui nec herba, nec latens in asperis  
     Radix fefellit me locis.  
 Indormit unctis omnium cubilibus  
     Oblivione pellicum.  
 Ah! Ah! solutus ambulat veneficæ  
     Scientioris carmine.  
 Non usitatis, Vare, potionibus  
     O multa fleturum caput!  
 Ad me recurras: nec vocata mens tua  
     Marsis redibit vocibus.  
 Majus parabo, majus infundam tibi  
     Fastidienti poculum.  
 Priusque cælum sidet inferius mari,  
     Tellure porrecta super,  
 Quam non amore sic meo flagres, uti  
     Bitumen atris ignibus.  
 Sub hæc puer, jam non, ut ante, mollibus  
     Lenire verbis inpias;  
 Sed dubius, unde rumperet silentium,  
     Misit Thyesteas preces:  
 Venena magnum fas nefasque, non valent  
     Convertere humanam vicem.  
 Diris agam vos: dira detestatio  
     Nulla expiatur victima.  
 Quin, ubi perire jussus exspiravero,  
     Nocturnus occurram Furor,  
 Petamque vultus umbra curvis unguibus,  
     Quæ vis Deorum est Manium;  
 Et inquietis adsidens præcordiis,  
     Pavore somnos auferam.  
 Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens  
     Contundet obscenas anus.

Post insepulta membra different lupi,  
 Et Esquiline alites,  
 Neque hoc parentes, heu mihi superstites !  
 Effugerit spectaculum.

## LIB. I. EPIST. XIV.

## AD VILLICUM SUUM.

VILLICE silvarum et mihi me reddentis agelli,  
 Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et  
 Quinque bonos solitum Variam dimittere patres ;  
 Certemus, spinas animone ego fortius, an tu  
 Evellas agro ; et melior sit Horatius, an res.  
 Me quamvis Lamiæ pietas et cura moratur  
 Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis  
 Insolabiliter ; tamen istuc mens animusque  
 Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.  
 Rure ego viventem, tu dicas in urbe beatum :  
 Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.  
 Stultus uterque locum immeritum causatur inique ;  
 In culpa est animus, qui se non effugit unquam.  
 Tu mediastinus tacita prece rura petebas ;  
 Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas :  
 Me constare mihi scis, et discedere tristem,  
 Quandocunque trahunt invisa negotia Romanum.  
 Non eadem miramur ; eo disconvenit inter  
 Meque et te : nam, quæ deserta et inhospita tesqua  
 Credis, amœna vocat, mecum qui sentit, et odit,  
 Quæ tu pulchra putas : fornix tibi et uncta popina  
 Incutiunt urbis desiderium, video ; et quod  
 Angulus iste feret piper et thus ocius uva ;  
 Nec vicina subest, vinum præbere, taberna,  
 Quæ possit tibi : nec meretrix tibicina, cuius  
 Ad strepitum salias terræ gravis : et tamen urges  
 Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque  
 Disjunctum curas, et strictis frondibus exples :  
 Addit opus pigro rivus, si decidit imber,  
 Multa mole docendus aprico parcere prato.  
 Nunc, age, quid nostrum accidit, videtis.

Quem tenues decuere togæ nitidique capilli,  
 Quem scis immunem Cinaræ placuisse rapaci,  
 Quem, bibulum liquidi media de luce Falerni,  
 Cœna brevis juvat, et prope rivum somnus in herba :  
 Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.  
 Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam  
 Limat ; non odio obscuro morsuque venenat :  
 Rident vicini glebas et saxa moventem.  
 Cum servis urbana diaria rodere mavis ?  
 Horum tu in numerum voto ruis ? Invidet usum  
 Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.  
 Optat ephippia bos piger ; optat arare caballus :  
 Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

## LIB. II. EPIST. I.

## AD AUGUSTUM.

GRATUS Alexandro regi Magno fuit ille  
 Chœrilus, incultis qui versibus et male natis  
 Retulit acceptos, regale nomisma, Philippos.  
 Sed veluti tractata notam labemque remittunt  
 Atramenta, fere scriptores carmine foedo  
 Splendida facta linunt. Ideni rex ille, poema  
 Qui tam ridiculum, tam care prodigus emit,  
 Edicto vetuit, ne quis se præter Apellen  
 Pingeret, aut aliis Lysippo duceret æra  
 Fortis Alexandri vultum simulantia. Quod si  
 Judicium subtile videndis artibus illud  
 Ad libros et ad hæc Musarum dona vocares,  
 Bœotûm in crasso jurares aere natum.  
 At neque dedecorant tua de se judicia, atque  
 Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt  
 Dilecti tibi Virgilius Variusque poetæ ;  
 Nec magis expressi vultus per ahenea signa,  
 Quam per vatis opus, mores animique virorum  
 Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem  
 Repentes per humum, quam res componere gestas,  
 Terrarumque situs et flumiua dicere et arces

Auspiciis totum confecta duella per orbem,  
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,  
Et formidatam Parthis te principe Romam,  
Si, quantum cuperem, possem quoque; sed neque parvum  
Carmen majestas recipit tua, nec meus audet  
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.  
Sedulitas autem, stulte, quem diligit, urget,  
Præcipue cum se numeris commendat et arte:  
Discit enim citius meminitque libentius illud,  
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.  
Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto  
In pejus vultu proponi cereus usquam,  
Nec prave factis decorari versibus opto:  
Ne rubeam pingui donatus munere, et una  
Cum scriptore meo capsæ porrectus aperta  
Deferar in vicum, vendentem thus et odores,  
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis.

# P H Æ D R U S.

---

## LIB. III.

### PROLOGUS AD EUTYCHUM.

PHÆDRU libellos legere si desideras,  
Vaces oportet, Eutycē, a negotiis,  
Ut liber animus sentiat vim carminis.  
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,  
Momentum ut horæ pereat officiis meis.  
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,  
Quod occupatis auribus non convenit.  
Fortasse dices : Aliquæ venient feriæ,  
Quæ me soluto pectore ad studium vocent :  
Legesne, quæso, potius viles nærias,  
Impendas curam quam rei domesticæ,  
Reddas amicis tempora, uxori vaces,  
Animum relaxes, otium des corpori ;  
Ut assuētam fortius præstes vicem ?  
Mutandum tibi propositum est, et vitæ genus,  
Intrare si Musarum limen cogitas.  
Ego, quem Pierio mater enixa est jugo,  
In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi,  
Fœcunda novies artium peperit chorūm ;  
Quamvis in ipsa natus sim pæne schola,  
Curamque habendi penitus corde eraserim,  
Et laude multa vitam in hanc incubuerim,  
Fastidiose tamen in cœtum recipior.  
Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
Exaggerare quærit omni vigilia,  
Docto labori dulce præponens lucrum ?  
Sed jam quodecumque fuerit, ut dixit Sinon  
Ad regem quum Dardaniæ perductus foret,  
Librum exarabo tertium Æsopi stylo,  
Honori et meritis dedicans illum tuis.

Quem si leges, lætabor ; sin autem minus,  
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.

Nunc fabularum cur sit inventum genus,  
Brevi docebo. Servitus obnoxia,  
Quia, quæ volebat, non audebat dicere,  
Affectus proprios in fabellas transtulit,  
Calumniamque fictis elusit jocis.  
Ego illius pro semita feci viam,  
Et cogitavi plura quam reliquerat,  
In calamitatem deligens quædam meam.  
Quod si accusator alius Sejano foret,  
Si testis alius, judex alius denique,  
Dignum faterer esse me tantis malis,  
Nec his dolorem delenirem remediis.  
Suspitione si quis errabit sua,  
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium ;  
Stulte nudabit animi conscientiam.  
Huic excusatum me velim nihilominus :  
Neque enim notare singulos mens est mihi,  
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.  
Rem me professum dicet fors aliquis gravem.  
Si Phryx Æsopus potuit, si Anacharsis Scytha  
Æternam famam condere ingenio suo :  
Ego literatæ qui sum propior Græciæ,  
Cur somno inerti deseram patriæ decus ?  
Threissa quum gens numeret auctores suos,  
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,  
Qui saxa cantu movit, et domuit feras,  
Hebrique tenuit impetus dulci mora.  
Ergo hinc abesto, livor, ne frustra gemas,  
Quoniam mihi solemnis debetur gloria.  
Induxi te ad legendum : sincerum mihi  
Candore noto reddas judicium peto.

## LIB. III. FAB. I.

## ANUS AD AMPHORAM.

Anus jacere videt epotam amphoram,  
Adhuc, Falerna fæce, e testa nobili  
Odorem quæ jucundum late spargeret.

Hunc postquam totis avida traxit naribus :  
 O suavis anima ! quale in te dicam bonum  
 Antehac fuisse, tales cum sint reliquæ !  
 Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

## FAB. II.

## PANTHERA ET PASTORES.

SOLET a despectis par referri gratia.

Panthera imprudens olim in foveam decidit.  
 Videre agrestes : alii fustes congerunt,  
 Alii onerant saxis ; quidam contra miseriti,  
 Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,  
 Misere panem, ut sustineret spiritum.  
 Nox insecura est, abeunt securi domum,  
 Quasi inventuri mortuam postridie :  
 At illa, vires ut refecit languidas,  
 Veloci saltu fovea sese liberat,  
 Et in cubile concito properat gradu.  
 Paucis diebus interpositis, provolat,  
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,  
 Et, cuncta vastans, sævit irato impetu.  
 Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant,  
 Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.  
 At illa : Memini, qui me saxo petierit,  
 Quis panem dederit : vos timere absistite ;  
 Illis revertor hostis, qui me læserant.

## FAB. XII.

## PULLUS AD MARGARITAM.

IN sterquilinio pullus gallinaceus  
 Dum quærit escam, margaritam reperit.  
 Jaces indigno, quanta res, inquit, loco !  
 O, si quis pretii cupidus vidisset tui !  
 Olim redisses ad splendorem pristinum.  
 Ego, qui te inveni, potior cui multo est cibus,  
 Nec tibi prodeesse, nea mihi quidamora notes.

## FAB. XIV.

## ÆSOPUS LUDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus  
Æsopum nucibus quum vidisset, restitit,  
Et quasi delirum risit : quod sensit simul  
Derisor potius, quam deridendus senex ;  
Arcum retentum posuit in media via :  
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.  
Concurrit populus : ille se torquet diu,  
Nec quæstionis positæ causam intelligit :  
Novissime succumbit. Tum victor sophus :  
Cito rumpes arcum, semper si tentum habueris ;  
At si laxaris ; quum voles, erit utilis.

Sic lusus animo debet aliquando dari,  
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

# OVIDIUS.

---

## FASTORUM LIB. I. v. 63.

Ecce ! tibi faustum, Germanice, nuntiat annum,  
Inque meo primum carmine Janus adest.  
Jane biceps, anni tacite labentis origo,  
Solus de Superis qui tua terga vides ;  
Dexter ades ducibus ; quorum secura labore  
Otia terra ferax, otia pontus habet.  
Dexter ades Patribusque tuis, Populoque Quirini :  
Et resera nutu candida templa tuo.  
Prospera lux oritur : linguis animisque favete :  
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.  
Lite vacent aures, infandaque protinus absint  
Jurgia ; differ opus, livida lingua, tuum.  
Cernis, odoratis ut luceat ignibus æther,  
Et sonet accensis spica Cilissa focis ?  
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,  
Et tremulum summa spargit in æde jubar.  
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces ;  
Et populus festo concolor ipse suo est.  
Jamque novi præeunt fasces ; nova purpura fulget ;  
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.  
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,  
Quos aluit campis herba Falisca suis.  
Jupiter, arce sua cum totum spectet in orbem,  
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.  
Salve, læta dies, meliorque revertere semper,  
A populo rerum digna potente coli.  
Quem tamen esse Deum te dicam, Jane biformis ?  
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.  
Ede simul causam, cur de cœlestibus unus,  
Idque quod a tergo est, idque quod ante vides.  
Hæc ego cum sumtis agitarem mente tabellis,

Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.  
 Tum sacer ancipiti mirandus imagine Janus  
     Bina repente oculis obtulit ora meis.  
 Extimui ; sensique metu riguisse capillos ;  
     Et gelidum subito frigore pectus erat.  
 Ille tenens baculum dextra, clavemque sinistra,  
     Edidit hos nobis ore priore sonos.  
 Disce, metu posito, vates operose dierum,  
     Quod petis ; et voces percipe mente meas.  
 Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant.  
     Accipe, quam longi temporis acta canam.  
 Lucidus hic aér, et, quæ tria corpora restant,  
     Ignis, aqua, et tellus, unus acervus erant.  
 Ut semel hæc rerum successit lite suarum,  
     Inque novas abiit massa soluta domos ;  
 Cœlum flamma petit ; propior locus aëra cepit :  
     Sederunt medio terra fretumque loco.  
 Tunc ego, qui fueram globus, et sine imagine moles,  
     In faciem redii membraque digna Deo.  
 Nunc quoque, confusæ quoniam nota parva figuræ est,  
     Ante quod est in me, postque, videtur idem.  
 Accipe, quæsitæ quæ causa sit altera formæ :  
     Hanc simul ut noris, officiumque meum.  
 Quicquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras,  
     Omnia sūnt nostra clausa patentque manu.  
 Me penes est unum vasti custodia mundi ;  
     Et jus vertendi cardinis omne meum est.  
 Cum libuit Pacem placidis emittere tectis ;  
     Libera per tutas ambulat illa vias.  
 Sanguine letifero totus miscebitur orbis,  
     Ni teneant rigidæ condita bella seræ.  
 Præsideo foribus cœli cum mitibus Horis ;  
     It, redit, officio Jupiter ipse meo.  
 Inde vocor Janus, cui cum Cereale sacerdos  
     Imponit libum, mixtaque farra sali ;  
 Nomena ridebis ; modo namque Patulcius idem,  
     Et modo sacrifico Clusius ore vocor.  
 Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas  
     Nomine diversas significare vices.  
 Vis mea narrata est : causam nunc disce figuræ ;  
     Jam tamen hanc aliqua tu quoque parte vides

Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes ;

E quibus hæc populum spectat, at illa Larem.

Utque, sedens primi vester prope limina tecti,

Janitor egressus introitusque videt ;

Sic ego prospicio cœlestis janitor aulæ

Eoas partes Hesperiasque simul.

Ora vides Hecates in tres vertentia partes,

Servet ut in ternas compita secta vias :

Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,

Cernere non moto corpore bina licet.

Dixerat ; et vultu, si plura requirere vellem,

Difficilem mihi se non fore, pactus erat.

Sumsi animum, gratesque Deo non territus egi ;

Verbaque sumi spectans, pauca locutus, humum :

Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,

Qui melius per ver incipiendus erat ?

Omnia tunc florent ; tunc est nova temporis ætas ;

Et nova de gravo palmitæ gemma tumet.

Et modo formatis operitur frondibus arbor ;

Prodit et in summum seminis herba solum :

Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent ;

Ludit et in pratis, luxuriatque pecus.

Tuin blandi soles ; ignotaque prodit hirundo,

Et luteum celsa sub trabe figit opus.

Tum patitur cultus ager, et renovatus aratro.

Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Quæsieram multis : non multis ille moratus,

Contulit in versus sic sua verba duos.

Bruna novi prima est, veterisque novissima solis ;

Principium capiunt Phœbus et annus idem.

Postea mirabar, cur non sine litibus esset

Prima dies. Causam percipe, Janus ait.

Tempora commisi nascentia rebus agendis,

Totus ab auspicio ne foret annus iners.

Quisque suas artes ob idem delibat agendo :

Nec plus quam solitum testificatur opus.

Mox ego : Cur, quamvis aliorum numina placem,

Jane, tibi primo thura merumque fero ?

Ut possis aditum, per me, qui limina servo,

Ad quoscunque velim prorsus habere Deos.

Et damus alternas accipimusque preces ?

Tunc Deus incumbens baculo, quem dextra gerebat ;

Omnia principiis, inquit, inesse solent.

Ad primam vocem timidas advertitis aures ;

Et primum visam consulit augur avem.

Templa patent auresque Deum ; nec lingua caducas

Concipit ulla preces ; dictaque pondus habent.

Desierat Janus : nec longa silentia feci ;

Sed tetigi verbis ultima verba meis :

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,

Et data sub niveo condita mella cado ?

Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur ;

Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Dulcia cur dentur video : stipis adjice causam,

Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.

Risit, et, O quam te fallunt tua sæcula, dixit,

Qui stipe mel sumta dulcius esse putas !

Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,

Cujus non animo dulcia lucra forent.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.

Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.

Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,

Dum populus pauper, dum nova Roma fuit ;

Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,

Et dabat exiguum fluminis ulva torum.

Jupiter angusta vix totus stabat in æde :

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Frondibus ornabant, quæ nunc Capitola gemmis :

Pascebatque suas ipse senator oves.

Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem,

Et fœnum capiti supposuisse, fuit.

Jura dabat populis posito modo prætor aratro :

Et levis argenti lamina crimen erat.

At postquam fortuna loci caput extulit hujus,

Et tetigit summo vertice Roma Deos ;

Creverunt et opes, et opum furiosa cupido ;

Et, cum possideant plurima, plura petunt.

Quærere ut absument, absumpta requirere certant :

Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.

Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda

In pretio pretium nunc est : dat census honores,  
 Census amicitias : pauper ubique jacet.  
 Tu tamen auspiciū si sit stipis utile, quæris,  
 Curque juvent nostras æra vetusta manus.  
 Æra dabant olim ; melius nunc omen in auro est :  
 Victaque concessit prisca moneta novæ.  
 Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,  
 Aurea : majestas convenit ipsa Deo.  
 Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.  
 Mos tamen est æque dignus uterque coli.  
 Finierat monitus : placidis ita rursus, ut ante,  
 Clavigerum verbis alloquor ipse Deum,  
 Multa quidem didici : sed cur navalis in ære  
 Altera signata est, altera forma biceps ?  
 Noscere me dupli posses in imagine, dixit ;  
 Ni vetus ipsa dies extenuasset opus.  
 Causa ratis superest. Tuscum rate venit in annem  
 Ante pererrato falcifer orbe Deus.  
 Hac ego Saturnum memini tellure receptum.  
 Cœlitibus regnis a Jove pulsus erat.  
 Inde diu genti mansit Saturnia nomen :  
 Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.  
 At bona posteritas puppim formavit in ære  
 Hospitis adventum testificata Dei.  
 Ipse solum colui, cuius placidissima lœvum  
 Radit arenosi Tybridis unda latus.  
 Hic, ubi nunc Roma est, tunc ardua silva virebat :  
 Tantaque res paucis pascua bubus erat.  
 Arx mea collis erat, quem vulgus nomine nostro  
 Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat.  
 Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum  
 Esset, et humanis numina mixta locis.  
 Nondum Justitiam facinus mortale fugarat :  
 Ultima de Superis illa reliquit humum.  
 Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.  
 Nullus erat, justis reddere jura, labor.  
 Nil mihi cum bello : pacem, postesque tuebar :  
 Et clavem ostendens, Hæc, ait, arma gero.  
 Presserat ora Deus. Tunc sic ego nostra resolvi :  
 Voce mea voces eliciente Dei.

Hic ubi templa foris juncta duobus habes ?

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,

Protinus Oebalii rettulit arma Tatî :

Utque levis custos, armillis capta, Sabinos

Ad summæ tacitos duxerit arcis iter.

Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,

Arduus in valles per fora clivus erat.

Et jam contigerant portam, Saturnia cuius

Dempserat appositâ insidiosa seras.

Cum tanto veritus committere numine pugnam

Ipse meæ movi callidus artis opus.

Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi :

Sumque repentinae ejaculatus aquas.

Ante tamen madidis subjeci sulphura venis :

Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.

Cujus ut utilitas pulsis percepta Sabinis,

Quæ fuerat, tuto reddita forma loco est.

Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello :

Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

At cur pace lates, motisque recluderis armis ?

Nec mora, quæsiti reddita causa mihi est.

Ut populo redditus pateant ad bella profecto,

Tota patet dempta janua nostra sera.

Pace fores obdo, ne qua discedere possit ;

Cæsareoque diu numine clausus ero.

Dixit, et attollens oculos diversa tuentes,

Adspexit toto quicquid in orbe fuit.

Pax erat : et vestri, Germanice, causa triumphi

Tradiderat domitas jam tibi Rhenus aquas.

Jane, face æternos, pacem, pacisque ministros ;

Neve suum, præsta, deserat auctor opus.

Quod tamen ex ipsis liceat mihi discere Fastis ;

Sacravere patres hac duo templa die.

Accepit Phœbo nymphaque Coronide natum

Insula, dividua quam premit amnis aqua.

Jupiter in parte est. cepit locus unus utrumque ;

Junctaque sunt magno templo nepotis avo.

Quis vetat et stellas, ut quæque oriturque caditque,

Dicere ? propositi pars fuit illa mei.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis,

Inque domos superas scandere cura fuit !

Credibile est, illos pariter vitiisque locisque  
 Altius humanis exseruisse caput.  
 Non Venus et vinum sublimia pectora fregit,  
 Officiumve fori, militiaeve labor.  
 Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,  
 Magnarumve fames solicitavit opum.  
 Adinovere oculis distantia sidera nostris :  
 Ætheraque ingenio supposuere suo.  
 Sic petitur cœlum : non ut ferat Ossan Olympus,  
 Nummaque Peliacus sidera tangat apex.  
 Nos quoque sub ducibus cœlum metabimur illis ;  
 Ponemusque suos ad stata signa dies.

## FASTORUM LIB. II. v. 193.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,  
 Hic, ubi discretas insula rumpit aquas.  
 Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus armis,  
 Ter centum Fabii ter cecidere duo.  
 Una domus vires et onus susceperebat urbis :  
 Sumunt gentiles arma professa manus.  
 Egreditur castris miles generosus ab īsdem,  
 E queis dux fieri quilibet aptus erat.  
 Carmentis portæ dextra est via proxima Jano :  
 Ire per banc noli, quisquis es ; omen habet.  
 Illa fama refert Fabios exisse trecentos.  
 Porta vacat culpa : sed tamen omen habet.  
 Ut celeri passu Cremeram tenuere rapacem,  
 Turbidus hibernis ille fluebat aquis,  
 Castra loco ponunt : destrictis ensibus ipsi  
 Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt :  
 Non aliter, quam cum Libyca de gente leones  
 Invadunt sparsos lata per arva greges.  
 Diffugiunt hostes, in honestaque vulnera tergo  
 Accipiunt : Thusco sanguine terra rubet.  
 Sic iterum, sic sæpe cadunt. Ubi vincere aperte  
 Non datur ; insidias armaque tecta parant.  
 Campus erat : campi cludebant ultima colles,  
 Sylvaque montanas occulere apta feras.  
 In medio paucos, armentaque rara relinquunt :  
 Cætera virgultis abdita turba latet.

Ecce ! velut torrens undis pluvialibus auctus,  
 Aut nive, quæ Zephyro victa tepente fluit,  
 Per sata perque vias fertur, nec, ut ante solebat,  
 Riparum clausas margine finit aquas :  
 Sic Fabii vallem latis discursibus implet ;  
 Quodque vident, spernunt ; nec metus alter inest.  
 Quo ruitis, generosa domus ? male creditur hosti.  
 Simplex nobilitas, perfida tela cave.  
 Fraude perit virtus. In apertos undique campos  
 Proseliunt hostes, et latus omne tenent.  
 Quid faciant pauci contra tot millia fortis ?  
 Quidve, quod in misero tempore restet, adest ?  
 Sicut aper longe silvis latrantibus actus  
 Fulmineo celeres dissipat ore canes ;  
 Mox tamen ipse perit : sic non moriuntur inulti,  
 Vulneraque alterna dantque feruntque manu.  
 Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,  
 Ad bellum missos perdidit una dies.  
 Ut tamen Herculeæ superessent semina genti  
 Credibile est ipsos consuluisse Deos.  
 Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis,  
 Unus de Fabiâ gente relictus erat.  
 Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci,  
 Cui res cunctando restituenda foret.  
 Continuata loco tria sidera ; Corvus, et Anguis,  
 Et medius Crater inter utrumque jacet.  
 Idibus illa latent ; oriuntur nocte sequenti.  
 Quæ, tibi, cur tria sint tam sociata, canam.  
 Forte Jovi festum Phœbus solenne parabat,  
 Non faciet longas fabula nostra moras.  
 I, mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur,  
 Et tenuem vivis fontibus adfer aquam.  
 Corvus inauratum pedibus cratera recurvis  
 Tollit, et aërium pervolat altus iter.  
 Stabat adhuc duris ficus densissima pomis.  
 Tentat eam rostro : non erat apta legi.  
 Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,  
 Dum fierent tarda dulcia poma mora.  
 Jamque satur, nigris longum rapit unguibus hydram,  
 Ad dominumque redit, fictaque verba refert :  
 Hic mihi causa moræ vivarum obsessor aquarum :

Hic tenuit fontes, officiumque meum.  
 Addis, ait, culpæ mendacia? Phœbus, et audes  
     Fatidicum verbis fallere velle Deum?  
 At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,  
     De nullo gelidæ fonte bibentur aquæ.  
 Dixit: et antiqui monumenta perennia facti,  
     Anguis, Avis, Crater, sidera juncta micant.  
**Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos**  
     Adspicit, et Fauni sacra bicornis eunt.  
 Dicite, Pierides, sacrorum quæ sit origo;  
     Attigerint Latias unde petita domos.  
**Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur**  
     Arcades. Arcadiis plurimus ille jugis.  
**Testis erit Pholoë, testes Stymphalides undæ,**  
     Quique citis Ladon in mare currit aquis;  
 Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini,  
     Altaque Trœzene, Parrhasiæque nives.  
**Pan erat armenti, Pan illuc numen equarum:**  
     Munus ob incolumes ille ferebat oves.  
**Transtulit Evander silvestria numina secum.**  
     Hic, ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat.  
**Inde Deum colimus, devectaque sacra Pelasgis.**  
     Flamen ad hæc prisco more Dialis erat.  
**Cur igitur currant; et cur, si currere mos est,**  
     Nuda ferant posita corpora veste, rogas?  
**Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis**  
     Montibus; et subitas concitat ipse feras.  
**Ipse Deus nudus nudos jubet ire ministros:**  
     Nec satis ad cursus commoda vestis erat.  
**Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur**  
     Arcades: et Luna gens prior illa fuit.  
**Vita feris similis, nullos agitata per usus;**  
     Artis adhuc expers, et rude vulgus erant.  
**Pro dōmibus frondes norant, pro frugibus herbas:**  
     Nectar erat palmis hausta duabus aqua.  
**Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus:**  
     Nulla sub imperio terra colentis erat.  
**Nullus adhuc erat usus equi; se quisque ferebat.**  
     Ibat ovis lana corpus amicta sua.  
**Sub Jove durabant, et corpora nuda gerebant,**  
     Docta graves imbres et tolerare Notos.

Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti  
Moris, et antiquas testificantur opes.

## FASTORUM LIB. V. I.

**QUÆRITIS**, unde putem Maio data nomina mensi ?

Non satis est liquido cognita causa mihi.

Ut stat, et incertus qua sit sibi nescit eundum,

Cum videt ex omni parte viator iter ;

Sic, quia posse datur diversas reddere causas,

Quo ferar, ignoro ; copiaque ipsa nocet.

Dicite, quæ fontes Aganippidos Hippocrenes

Grata Medusæ signa tenetis equi.

Dissensere Deæ. Quarum Polymnalia cœpit

Prima : silent aliae, dictaque mente notant.

Post Chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo,

Inque novas species omne recessit opus ;

Pondere terra suo subsedit, et æquora traxit ;

At cœlum levitas in loca summa tulit.

Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,

Et vos Lunares exsiliistis equi.

Sed neque terra diu cœlo, neque cætera Phœbo

Sidera cedebant : par erat omnis honor.

Sæpe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,

Ausus de media plebe sedere Deus.

Et latus Oceano quisquam Deus advena junxit ;

Tethys et extremo sæpe recepta loco est :

Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu

Corpora legitimis imposuere toris.

Hinc sata Majestas, hos est Dea censa parentes :

Quaque die partu est edita, magna fuit.

Nec mora : consedit medio sublimis Olympo

Aurea, purpureo conspicienda sinu.

Consedere simul Pudor et Metus : omne videres

Numen ad hanc vultus composuisse suos.

Protinus intravit mentes suspectus honorum,

Fit pretium dignis ; nec sibi quisque placet.

Hic status in cœlo multos permansit in annos :

Dum senior fatis excidit arce Deus.

Terra feros partus, immania monstra, Gigantas

Edidit, ausuros in Jovis ire domum.

Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues ;  
 Atque ait, In magnos arma movete Deos.  
 Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,  
 Et magnum bello solicitare Jovem.  
 Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce  
 Vertit in auctores pondera vasta suos.  
 His bene Majestas armis defensa Deorum  
 Restat, et ex illo tempore firma manet.  
 Assidet illa Jovi ; Jovis est fidissima custos :  
 Et præstat sine vi sceptræ tremenda Jovi.  
 Venit et in terras : coluerunt Romulus illam  
 Et Numa ; mox alii, tempore quisque suo.  
 Illa patres in honore pio matresque tuetur :  
 Illa comes pueris virginibusque venit.  
 Illa datos fasces commendat, eburque curule :  
 Illa coronatis alta triumphat equis.  
 Finierat voces Polyhymnia: dicta probarunt  
 Clioque et curvæ scita Thalia lyrae.  
 Excipit Uranie : fecere silentia cunctæ ;  
 Ex vox audiri nulla, nisi illa, potest.  
 Magna fuit quondam capitis reverentia cani,  
 Inque suo pretio ruga senilis erat.  
 Martis opus juvenes animosaque bella gerebant :  
 Et pro Dîs aderant in statione suis.  
 Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,  
 Consilio patriæ sœpe ferebat opem.  
 Nec nisi post annos patuit tunc curia seros :  
 Nomen et ætatis mite Senatus erat.  
 Jura dabat populo senior : finitaque certis  
 Legibus est ætas, unde petatur honos.  
 Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,  
 Ibat ; et interior, si comes unus erat.  
 Verba quis auderet coram sene digna rubore  
 Dicere ? censuram longa senecta dabat.  
 Romulus hoc vidit, selectaque pectora Patres  
 Dixit. Ad hos urbis summa relata novæ est.  
 Hinc sua majores tribuisse vocabula Maio  
 Tangor, et ætati consuluisse suæ,  
 Et Numitor dixisse potest, Da, Romule, mensem  
 Hunc senibus ; nec avum sustinuisse nepos.  
 Nec leve præpositi pignus successor honoris

Junius, a juvenum nomine dictus, adest.  
 Tunc sic neglectos hedera redimita capillos  
     Prima sui cœpit Calliopea chori.  
 Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,  
     Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.  
 Hinc sata Pleïone cum cœlifero Atlante  
     Jungitur, ut fama est, Pleiadasque parit.

## TRISTIUM LIB. I. 2.

Dii maris et cœli, quid enim nisi vota supersunt ?  
     Solvore quassatæ parcite membra ratis :  
 Neve, precor, magni subscribite Cæsaris iræ.  
     Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.  
 Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo :  
     Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.  
 Oderat Ænean propior Saturnia Turno :  
     Ille tamen Veneris numine tutus erat.  
 Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulyssem ;  
     Eripuit patruo sæpe Minerva suo.  
 Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,  
     Quis vetat irato numen adesse Deo ?  
 Verba miser frustra non proficientia perdo :  
     Ipsa graves spargunt ora loquentis aquæ :  
 Terribilisque Notus jactat mea dicta ; precesque,  
     Ad quos mittuntur, non sinit ire Deos.  
 Ergo iidem venti, ne causas lædar in una,  
     Velaque nescio quo, votaque nostra ferunt ?  
 Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum !  
     Jam jam tacturos sidera summa putas.  
 Quantæ diducto subsidunt æquore valles !  
     Jam jam tacturas Tartara nigra putas.  
 Quocunque aspicio, nihil est nisi pontus et ær,  
     Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.  
 Inter utrumque fremunt immanni murmure venti,  
     Nescit cui domino pareat unda maris.  
 Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu :  
     Nunc Zephyrus sero vespere missus adest :  
 Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto ,  
     Nunc Notus adversa proelia fronte gerit.  
 Rector in incerto est : nec, quid fugiatve, petative,

Invenit : ambiguis ars stupet ipsa malis.  
Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis.

Dumque loquor, vultus obruit unda meos.  
Opprimet hanc animam fluctus ; frustraque precanti  
Ore necaturas accipiemus aquas.

At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux :

Hoc unum nostri scitque gemitque mali :  
Nescit in immenso jactari corpora ponto :  
Nescit agi ventis : nescit adesse necem.  
O bene, quod non sum inecum descendere passus,  
Ne mihi mors misero bis patienda foret.

At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,

Dimidiâ certe parte superstes ero.  
Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma !

Quantus ab ætherio personat axe fragor !  
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,

Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.  
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes :

Posterior nono est, undecimoque prior.  
Non letum timeo, genus est miserabile leti.

Demite naufragium, mors mihi munus erit.  
Est aliquid, fatoque suo ferroque cadentem

In solita moriens ponere corpus humo :  
Est mandata suis aliquid sperare sepulchra ;

Et non æquoreis piscibus esse cibum.  
Fingite me dignum tali nece : non ego solus

Hic vehor : immeritos cur mea poena trahit ?  
Proh Superi, viridesque Dei, quibus æquora curæ,

Utraque jam vestras sistite turba minas ;  
Quamque dedit vitam mitissima Cæsar's ira,

Hanc sinite infelix in loca jussa feram.  
Si quam commerui poenam, me pendere vultis,

Culpa mea est, ipso judice morte minor.  
Mittere me Stygias si jam voluisset ad undas

Cæsar, in hoc vestra non eguisset ope.  
Est illi nostri non invidiosa crux

Copia : quodque dedit, cum volet, ipse feret.  
Vos modo, quos certe nullo, puto, crimine læsos,

Contenti nostris jam, precor, este malis.  
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,

Ut mare considat, ventisque ferentibus utar,  
 Ut mihi parcatis; num minus exsul ero?  
 Non ego, divitias avidus sine fine parandi,  
 Lentum mutandis mercibus æquor aro:  
 Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas;  
 Oppida non Asiæ, non loca visa prius:  
 Non ut Alexandri claram delatus in urbem,  
 Delicias videam, Nile jocose, tuas.  
 Quod faciles opto ventos, quis credere possit?  
 Sarmatis est tellus, quam mea vela petunt.  
 Obligor ut tangam sævi fera litora ponti;  
 Quodque sit a patria tam fuga tarda, queror.  
 Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas,  
 Exilem facio per mea vota viam.  
 Si me diligitis, tantos compescite fluctus:  
 Pronaque sint nostræ numina vestra rati.  
 Seu magis odistis, jussæ mea advertite terræ:  
 Supplicii pars est in regione mei.  
 Ferte, quid hic facio? rapidi mæa carbasa venti;  
 Ausonios fines cur mea vela vident?  
 Noluit hoc Cæsar: quid, quem fugat ille, tenetis?  
 Adspiciat vultus Pontica terra meos.  
 Et jubet, et merui: nec, quæ damnaverit ille  
 Crimina defendi fasve piumve puto.  
 Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt,  
 A culpa facinus scitis abesse mea.  
 Immo ita; vos scitis, si me meus abstulit error,  
 Stultaque mens nobis, non scelerata fuit;  
 Quamlibet ex minimis, domui si favimus illi;  
 Si satis Augusti publica jussa mihi;  
 Hoc duce si dixi felicia secula, proque  
 Cæsare tura pius Cæsaribusque dedi,  
 Si fuit hiç animus nobis, ita parcite, Divi:  
 Sin minus; alta cadens obruat unda caput.  
 Fallor? an incipiunt gravidæ evanescere nubes,  
 Victaque mutati frangitur ira maris?  
 Non casus, sed vos sub conditione vocati,  
 Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

## TRISTIUM LIB. V. I.

HUNC quoque de Getico, nostri studiose, libellum

Litore, præmissis quatuor adde meis.  
 Hic quoque talis erit, qualis fortuna poëtæ ;  
 Invenies toto carmine dulce nihil,  
 Flebilis ut noster status est, ita fœbile carmen,  
 Materiæ scripto conveniente suæ.  
 Integer et lætus læta et juvenilia lusi ;  
 Illa tamen nunc me composuisse piget.  
 Ut cecidi, subiti perago præconia casus,  
 Sumque argumenti conditor ipse mei.  
 Utque, jacens ripa, deflere Caystrius ales  
 Dicitur ore suam deficiente necem :  
 Sic ego Sarmaticas longe projectus in oras,  
 Efficio tacitum ne mihi funus eat.  
 Delicias si quis, lascivaque carmina quærit,  
 Præmoneo nunquam scripta quod ista legat.  
 Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris ;  
 Et plures, quorum nomina magna vigent.  
 Atque utinam numero nos non essemus in isto.  
 Hei mihi cur unquam Musa locuta mea est ?  
 Sed dedimus poenas ; Scythicique in finibus Istri  
 Ille pharetrati lusor Amoris abest.  
 Quod superest, socios ad publica carmina flexi,  
 Et memores jussi nominis esse sui.  
 Si tamen ex vobis aliquis tam multa requiret,  
 Unde dolenda canam : multa dolenda tuli.  
 Non hæc ingenio, non hæc componimus arte :  
 Materia est propriis ingeniosa malis.  
 Et quota fortunæ pars est in carmine nostræ ?  
 Felix, qui patitur, quæ numerare valet.  
 Quot frutices silvæ, quot flavas Tybris arenas,  
 Mollia quot Martis gramina campus habet,  
 Tot mala pertulimus : quorum medicina quiesque  
 Nulla nisi in studio, Pieridumque mora est.  
 Quis tibi, Naso, modus lacrymosi carminis ? inquis.  
 Idem, fortunæ qui modus hujus erit.  
 Quod querar, illa mihi pleno de fonte ministrat :  
 Nec mea sunt, fati verba sed ista mei.  
 At mihi si cara patriam cum conjugé reddas ;  
 Sint vultus hilares, simque quod ante fui.  
 Lenior invicti si sit mihi Cæsaris ira,  
 Carmina lætitiae jam tibi plena dabo.

Non tamen ut lusit, rursus mea litera ludet :  
 Sit semel illa meo luxuriata malo.  
 Quod probet ipse, canam : pœnæ modo parte levata,  
     Barbariem, rigidos effugiamque Getas.  
 Interea nostri quid agant, nisi triste, libelli ?  
     Tibia funeribus convenit ista meis.  
 At poteras, inquis, melius mala ferre silendo,  
     Et tacitus casus dissimulare tuos.  
 Exigis, ut nulli genitus tormenta sequantur ;  
     Acceptoque gravi vulnere flere vetas.  
 Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære  
     Edere mugitus, et bovis ore queri.  
 Cum Priami lacrymis offensus non sit Achilles ;  
     Tun' fletus inhibes, durior hoste, meos.  
 Cum faceret Nioben orbam Latöia proles,  
     Non tamen et siccas jussit habere genas.  
 Est aliquid, fatale malum per verba levari ;  
     Hoc querulam Prognen, Halcyonemque facit.  
 Hoc erat, in gelido quare Poeantius antro  
     Voce fatigaret Lemnia saxa sua.  
 Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus,  
     Cogitur et vires multiplicare suas.  
 Da veniam potius, vel totos tolle libellos,  
     Hoc mihi quod prodest, si tibi, lector, obest.  
 Sed nec obesse potest : ulli nec scripta fuerunt  
     Nostra, nisi auctori perniciosa suo.  
 At mala sunt ; fateor : quis te mala sumere cogit ?  
     Aut quis deceptum ponere sumpta vetat ?  
 Ipse nec emendo : sed ut hic deducta legantur,  
     Non sint illa suo barbariora loco.  
 Nec me Roma suis debet conferre poëtis :  
     Inter Sauromatas ingeniosus ero.  
 Denique nulla mihi captatur gloria, quæque  
     Ingenio stimulos subdere fama solet.  
 Nolumus assiduis animum tabescere curis :  
     Quæ tamen erumpunt, quoque vetantur, eunt.  
 Cur scribam docui ? cur mittam quæritis istos ?  
     Vobiscum cupio quolibet esse modo.

## METAMORPH. LIB. VII. 1.

## DE JASONE ET MEDEA.

JAMQUE fretum Minyæ Pagasæâ puppe secabant,  
 Perpetuâque trahens inopem sub nocte senectam  
 Phineus visus erat ; juvenesque Aquilone creati  
 Virgineas volucres miseri senis ore sugarant ;  
 Multaque perpessi claro sub Iasone, tandem  
 Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.  
 Dumque adeunt Regem, Phryxæaque vellera poscunt,  
 Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum ;  
 Concipit interea validos Ætias ignes ;  
 Et luctata diu, postquam ratione furorem  
 Vincere non poterat ; “ Frustra, Medea, repugnas :  
 Nescio quis Deus obstat,” ait : “ mirumque, nisi hoc est,  
 Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.  
 Nam cur jussa patris nimium mibi dura videntur ?  
 Sunt quoque dura nimis. Cur, quem modo denique vidi,  
 Ne pereat, timeo ? Quæ tanti causa timoris ?  
 Excute virgineo conceptas pectore flamas,  
 Si potes, infelix. Si possem, sanior essem.  
 Sed trahit invitam nova vis ; aliudque Cupido,  
 Mens aliud, suadet. Video meliora, proboque ;  
 Deteriora sequor. Quid in hospite, regia virgo,  
 Uteris, et thalamos alieni concipis orbis ?  
 Hæc quoque terra potest, quod ames, dare. Vivat, an ille  
 Occidat, in Dîs est. Vivat tamen : idque precari  
 Vel sine amore licet. Quid enim commisit Iason ?  
 Quam, nisi crudelem, non tangat Iasonis ætas,  
 Et genus, et virtus ? quam non, ut cætera desint,  
 Forma movere potest ? certe mea pectora movit.  
 At nisi opein tulero, taurorum afflabitur ore ;  
 Concurretque suæ segeti, tellure creatis  
 Hostibus : aut avido dabitur fera præda draconi.  
 Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,  
 Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.  
 Cur non et specto pereuntem, oculosque videndo  
 Conscelero ? cur non tauros exhortor in illum,  
 Terrigenasque feros, insopitumque draconem ?

Dī meliora velint. Quamquam non ista precanda,  
 Sed facienda mihi. Prodamne ego regna parentis ?  
 Atque ope nescio quis servabitur advena nostra,  
 Ut, per me sospes, sine me det linteal ventis,  
 Virque sit alterius : poenæ Medea relinquar ?  
 Si facere hoc, aliamve potest præponere nobis,  
 Occidat ingratus ! Sed non is vultus in illo,  
 Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,  
 Ut timeam fraudem, meritique oblivia nostri.  
 Et dabit ante fidem : cogamque in foedera testes  
 Esse Deos. Quid tuta times ? accingere ; et omnem  
 Pelle moram. Tibi se semper debebit Iason :  
 Te face solenni junget sibi ; perque Pelasgas  
 Servatrix urbes inatrum celebrabere turba.  
 Ergo ego germanam, fratremque, patremque, Deosque,  
 Et natale solum, ventis ablata, relinquam ?  
 Nempe pater sævus, nempe est mea barbara tellus,  
 Frater adhuc infans ; stant mecum vota sororis.  
 Maximus intra me Deus est. Non magna relinquam ;  
 Magna sequar : titulum servatæ pubis Achivæ,  
 Notitiamque loci melioris, et oppida, quorum  
 Hic quoque fama viget, cultusque, artesque virorum :  
 Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,  
 Æsonidem mutasse velim : quo conjugé felix,  
 Et Dīs cara ferar, et vertice sidera tangam.  
 Quid ? quod nescio qui mediis concurrere in undis  
 Dicuntur montes, ratibusque inimica Charybdis  
 Nunc sorbere fretum, nunc reddere ; cinctaque sævis  
 Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo ?  
 Nempe tenens quod amo, gremioque in Iasonis hærens,  
 Per freta longa ferar. Nihil, illum amplexa, verebor ;  
 Aut, si quid metuam, metuam de conjugé solo.  
 Conjugiumne vocas, speciosaque nomina culpæ  
 Imponis, Medea, tuæ ? quin aspice, quantum  
 Aggrediare nefas ; et, dum licet, effuge crimen.”  
 Dixit : et ante oculos Rectum, Pietasque, Pudorque  
 Constiterant ; et victa dabat jam terga Cupido.  
 Ibat ad antiquas Hecates Perseiðos aras,  
 Quas nemus umbrosum, secretaque silva tegebant.  
 Et jam fortis erat, pulsusque resederat ardor ;  
 Cum videt Æsoniden, extinctaque flamma revixit.

Erubuere genæ ; totoque recanduit ore.  
 Ut solet a ventis alimenta assumere, quæque  
 Parva sub inducta latuit scintilla favilla,  
 Crescere, et in veteres agitata resurgere vires ;  
 Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,  
 Ut vidit juvenem, specie præsentis inarsit.  
 Et casu, solito formosior Æsone natus  
 Illa luce fuit : posses ignoscere amanti.  
 Spectat ; et in vultu, veluti nunc denique viso,  
 Lumina fixa tenet : nec se mortalia demens  
 Ora videre putat ; nec se declinat ab illo.  
 Ut vero cœpitque loqui, dextramque prehendit  
 Hospes, et auxilium submissa voce rogavit ;  
 Promisitque torum ; lacrymis ait illa profusis :  
 “ Quid faciam video : nec me ignorantia veri  
 Decipiet, sed amor. Servabere munere nostro :  
 Servatus promissa dato.” Per sacra triformis  
 Ille Deæ, lucoque foret quod numen in illo,  
 Perque patrem socii, cernentem cuncta, futuri,  
 Eventusque suos, per tanta pericula, jurat.  
 Creditus, accepit cantatas protinus herbas,  
 Edidicitque usum ; lætusque in castra recessit.

Postera depulerat stellas Aurora micantes,  
 Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvum ;  
 Consistuntque jugis. Medio Rex ipse resedit  
 Agmine purpureus, sceptroque insignis eburno.  
 Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant  
 Æripedes tauri ; tactæque vaporibus herbæ  
 Ardent. Utque solent pleni resonare camini,  
 Aut ubi terrena silices fornace soluti  
 Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum ;  
 Pectora sic intus clausas volventia flamas,  
 Gutturaque usta sonant. Tamen illis Æsone natus  
 Obvius it. Vertere truces venientis ad ora  
 Terribiles vultus, præfixaque cornua ferro ;  
 Pulvereumque solum pede pulsavere bisulco ;  
 Fumificisque locum mugitibus implevere.  
 Diriguere metu Minyæ. Subit ille ; nec ignes  
 Sentit anhelatos ; tantum medicamina possunt.  
 Pendulaque audaci mulcet palearia dextra ;  
 Suppositosque iugo pondus grave cogit aratri

Ducere, et insuetum ferro proscindere campum.  
 Mirantur Colchi : Minyæ clamoribus implent,  
 Adjiciuntque animos. Galea tum sumit ahena  
 Vipereos dentes ; et aratos spargit in agros.  
 Semina mollit humus, valido prætincta veneno :  
 Et crescunt, fiuntque sati nova corpora dentes.  
 Utque hominis speciem materna sumit in alvo,  
 Perque suos intus numeros componitur infans,  
 Nec nisi maturus communes exit in auras ;  
 Sic ubi visceribus gravidæ telluris imago  
 Effecta est hominis, feto consurgit in arvo :  
 Quodque magis mirum, simul edita concutit arma.  
 Quos ubi viderunt præacutæ cuspidis hastas  
 In caput Hæmonii juvenis torquere paratos,  
 Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.  
 Ipsa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum :  
 Utque peti vidit juvenem tot ab hostibus unum,  
 Palluit ; et subito sine sanguine frigida sedit.  
 Neve parum valeant a se data gramina, carmen  
 Auxiliare canit ; secretasque advocat artes.  
 Ille, gravem medios silicem jaculatus in hostes,  
 A se depulsum Martem convertit in ipsos.  
 Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres ;  
 Civilique cadunt acie. Gratantur Achivi ;  
 Victoremque tenent ; avidisque amplexibus hærent.  
 Tu quoque victorem complecti, barbara, velles ;  
 Obstitit incepto pudor : at complexa fuisses ;  
 Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ.  
 Quod licet, affectu tacito lætaris : agisque  
 Carminibus grates, et Dîs auctoribus horum.  
 Pervigilem superest herbis sopire draconem ;  
 Qui crista linguisque tribus præsignis, et uncis  
 Dentibus horrendus, custos erat arietis aurei.  
 Hunc postquam sparsit Lethæi gramine succi,  
 Verbaque ter dixit placidos facientia somnos,  
 Quæ mare turbatum, quæ concita flumina sistant ;  
 Somnus in ignotos oculos subrepit ; et auro  
 Heros Æsonius potitur : spolioque superbus,  
 Muneris auctorem secum, spolia altera, portans,  
 Victor Iolciacos tetigit cum conjugé portus.

# T I B U L L U S.

---

## LIB. II. 5.

Phœbe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos :

Huc age cum cithara carminibusque veni.

Nunc te vocales impellere pollice chordas,

Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,

Dum cumulant aras, ad tua sacra veni :

Sed nitidus pulcherque veni : nunc indue vestem

Depositam, longas nunc bene pecte comas.

Qualem te memorant, Saturno rege fugato,

Victori laudes concinuisse Jovi.

Tu procul eventura vides : tibi deditus augur

Scit bene, quid fati provida cantet avis.

Tuque regis sortes : per te præsentit aruspex,

Lubrica signavit cum Deus exta notis.

Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,

Abdita quæ senis fata canit pedibus.

Phœbe, sacras Messalinum sine tangere chartas

Vatis ; et ipse, precor, quod canat illa, doce.

Hæc dedit Æneæ sortes, postquam ille parentem

Dicitur, et raptos sustinuisse Lares :

Nec fore credebat Romanum, cum mœstus ab alto

Ilion, ardentes respiceretque Deos.

Romulus æternæ nondum formaverat urbis

Mœnia, consorti non habitanda Remo.

Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ,

Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ,

Et facta agresti lignea falce Pales ;

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum

Garrula silvestri fistula sacra Deo :  
 Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,  
     Nam calamus cera jungitur usque minor.  
 At, qua Velabri regio patet, ire solebat  
     Exiguus pulla per vada linter aqua.  
 Illa saepe gregis diti placitura magistro  
     Ad juvenem festa vecta puella die est.  
 Cum qua fecundi redierunt munera ruris  
     Caseus, et niveæ candidus agnus ovis.  
 Impiger Aenea volitantis frater Amoris,  
     Troica qui profugis sacra vehis ratibus,  
 Jam tibi Laurentes assignat Jupiter agros :  
     Jam vocat errantes hospita terra Deos.  
 Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici  
     Unda Deum cœlo miserit indigetem.  
 Ecce super fessas volitat victoria puppes.  
     Tandem ad Trojanos Diva superba venit.  
 Ecce mibi lucent Rutulis incendia castris.  
     Jam tibi prædico, barbare Turne, necem.  
 Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavinî est,  
     Albaque ab Ascanio condita longa duce.  
 Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos  
     Ilia, Vestales deseruisse focos.  
 Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,  
     Dum licet ; hic magnæ jam locus urbis erit.  
 Roma, tuum nomen terris fatale regendis,  
     Qua sua de cœlo prospicit arva Ceres ;  
 Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis  
     Solis anhelantes abluit amnis equos.  
 Troja quidem tunc se mirabitur, et sibi dicet  
     Vos bene tam longa consuluisse via.  
 Vera cano : sic usque sacras innoxia lauros  
     Vescar, et æternum sit mihi virginitas.  
 Hæc cecinit vates, et te sibi, Phœbe, vocavit ;  
     Jactavit fusa sed caput ante coma.  
 Quicquid Amalthea, quicquid Marpessia dixit,  
     Herophile Phœbo grataque quod monuit,  
 Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes  
     Portarit, sicco perlueritque sinu :  
 Hæc fore dixerunt belli mala signa cometen,  
     Multus ut in terras deplueretque lapis.

Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cœlo  
Audita, et lucos præcinuisse fugam.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit  
Jungere pallentes nubilus annus equos :  
Et simulacra Deum lacrymas fudisse tepentes,  
Fataque vocales præmonuisse boves.

Hæc fuerint olim : sed tu jam, mitis Apollo,  
Prodigia indomitis merge sub æquoribus :  
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis :  
Omine quo felix, et sacer annus eat.

Laurus io bona signa dedit : gaudete coloni.  
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,  
Dolia dum, magni deficiuntque lacus,  
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor  
Concinet ; a stabulis tunc procul este lupi.  
Ille levis stipulæ solennes potus acervos  
Accendet, flamas transilietque sacras.  
Et fetus matrona dabit, gnatusque parenti  
Oscula comprensis auribus eripiet.

Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,  
Balbaque cum puerò dicere verba senem.

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,  
Arboris antiquæ qua levis umbra cadit.

Aut e veste sua tendent umbracula sertis  
Vineta ; coronatus stabit et ipse calix.

At sibi quisque dapea, et festas exstructet alte  
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

Pace tua, pereant arcus, pereantque sagittæ,  
Phœbe ; modo in terris erret inermis Amor.

Ars bona : sed postquam sumsit sibi tela Cupido,  
Hei mihi quam multis ars dedit illa malum !

Et mihi præcipue, jaceo cum saucius annum :  
Et faveo morbo, tam juvat ipse dolor.

Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus  
Verba potest, justos aut reperire pedes.

At tu, (nam Divum servat tutela poetas,)  
Præmoneo, vati parce puella sacro ;

Ut Messalinum celebrem, cum præmia belli  
Ante suos currus oppida victa feret.

Miles io, magna voce, triumphē canet.  
 Tunc Messala meus pia det spectacula turbæ,  
     Et plaudat currū prætereunte pater.  
 Annue : sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli,  
     Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

## LIB. III. 3.

Quid prodest cœlum votis implesse, Neæra ?  
     Blandaque cum multa thura dedisse prece ?  
 Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,  
     Insignis clara conspicuusque domo ;  
 Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,  
     Et magnas messes terra benigna daret ;  
 Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,  
     Inque tuo caderet nostra senecta sinu,  
 Tunc, cum permensæ defunctus tempora lucis  
     Nudus Lethæa cogerer ire rate.  
 Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri ?  
     Arvaque si findant pingua mille boves ?  
 Quidve domus prodest Phrygiis ionixa columnis,  
     Tænare, sive tuis, sive, Cariste, tuis ?  
 Et nemora in domibus sacros imitantia lucos ?  
     Auratæque trabes, marmoreumque solum ?  
 Quidve, in Erythræo legitur quæ litore concha,  
     Tinctaque Sidonio murice lana juvat ?  
 Et quæ præterea populus miratur : in illis  
     Invidia est : falso plurima vulgus amat.  
 Non opibus mentes hominum curæque levantur :  
     Nam Fortuna sua tempora lege regit.  
 Sit mihi paupertas tecum, jucunda Neæra.  
     At sine te regum munera nulla volo.  
 O niveam, quæ te poterit mibi reddere, lucem !  
     O mihi felicem terque, quaterque diem !  
 At si, pro dulci reditu quæcunque voventur,  
     Audiat aversa non meus aure Deus,  
 Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis,  
     Nec quas terrarum sustinet orbis opes.  
 Hæc alii cupiant : liceat mihi paupere cultu  
     Securo cara conjugé posse frui.  
 Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,

Et faveas concha, Cypria, vecta tua.  
 Aut, si fata negant redditum, tristesque sorores,  
 Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt,  
 Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem  
 Dives in ignava luridus Orcus aqua.

## LIB. III. 5.

Vos tenet, Etruscis manat quæ fontibus unda,  
 Unda sub æstivum non adeunda Canem ;  
 Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,  
 Cum se purpureo vere remittit hiems.  
 At mihi Persephone nigram denunciat horam.  
 Immerito juveni parce nocere, Dea !  
 Non ego tentavi nulli temeranda Deorum  
 Audax laudandæ sacra docere Deæ :  
 Nec mea mortiferis infecta pocula succis  
 Dextera ; nec cuiquam tetra venena dedit :  
 Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes :  
 Nec cor solicitant facta nefanda meum.  
 Nec nos insana meditantes jurgia mente,  
 Impia in adversos solvimus ora Deos.  
 Et nondum cani nigros læsere capillos,  
 Nec venit tardo curva senecta pede.  
 Natalem primo nostrum videre parentes,  
 Cum cecidit fato consul uterque pari.  
 Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis ?  
 Et modo nata mala vellere poma manu ?  
 Parcite, pallentes umbras quicunque tenetis,  
 Duraque sortiti tertia regna Dei.  
 Elysios olim liceat cognoscere campos,  
 Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus ;  
 Cum mea rugosa pallebunt ora senecta,  
 Et referam pueris tempora prisca senex.  
 Atque utinam vano nequicquam terrear æstu :  
 Languent ter quinos sed mea membra dies.  
 At vobis Tuscae celebrantur numina lymphæ,  
 Et facilis lenta pellitur unda manu.  
 Vivite felices, memores et vivite nostri ;  
 Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.  
 Interea nigras pecudes promittite Diti,  
 Et nivei lactis pocula mista mero.

# PROPERTIUS.

---

## LIB. I. 17.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,  
Nunc ego desertas alloquor Alcyonas :  
Nec mihi Cassiope solito visura carinam,  
Omniaque ingrato litore vota cadunt.  
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti :  
Aspice quam sævas increpat aura minas.  
Nullane placatæ veniet fortuna procellæ ?  
Hæccine parva meum funus arena teget ?  
Tu tamen in melius sævas converte querelas ;  
Sat tibi sit pœnæ nox, et iniqua vada.  
An poteris siccis mea fata reponere ocellis ?  
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu ?  
Ah pereat, quicunque rates, et vela paravit  
Primus, et invito gurgite fecit iter.  
Nonne fuit melius dominæ pervincere mores,  
(Quamvis dura, tamen rara puella fuit)  
Quam sic ignotis circumdata litora silvis  
Cernere, et optatos quærere Tyndaridas ?  
Illuc si qua meum sepelirent fata dolorem,  
Ultimus et posito staret amore lapis ;  
Illa meo caros donasset funere crines,  
Molliter et tenera poneret ossa rosa :  
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,  
Ut mihi non ullo pondere terra foret.  
At vos æquoreæ formosa Doride natæ,  
Candida felici solvite vela choro.  
Si quando vestras labens Amor attigit undas,  
Mansuetis socio parcite litoribus.

## LIB. II. 1.

QUÆRITIS, unde mihi toties scribantur amores ?  
Unde meus veniat mollis in ora liber ?

Non hæc Calliope, non hæc mihi dictat Apollo ;  
     Ingenium nobis ipsa puella facit.  
 Sive illam Coës fulgentem incedere vidi,  
     Hoc totum e Coa veste volumen erit :  
 Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,  
     Gaudet laudatis ire superba comis :  
 Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis,  
     Miramur, faciles ut premat arte manus :  
 Seu cum poscentes somnus declinat ocellos,  
     Invenio causas mille poeta novas :  
 Seu quicquid fecit, sive est quodcunque locuta,  
     Maxima de nihilo nascitur historia.  
 Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent,  
     Ut possum heroas ducere in arma manus ;  
 Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo  
     Impositum, ut cœlo Pelion esset iter ;  
 Non veteres Thebas ; nec Pergama, nomen Homeri,  
     Xerxis et imperio bina coisse vada ;  
 Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,  
     Cimbrorumque minas, et bene facta Mari.  
 Bellaque, resque tui memorarem Cæsaris ; et tu  
     Cæsare sub magno cura secunda fores.  
 Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,  
     Aut canerem Siculæ classica bella fugæ ;  
 Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ,  
     Et Ptolemæeæ litora capta Phari ;  
 Aut canerem Ægyptum, et Nilum, cum tractus in urbem  
     Septem captivis debilis ibat aquis ;  
 Aut regum auratis circumdata colla catenis,  
     Actiaque in Sacra currere rostra via ;  
 Te mea musa illis semper contexeret armis,  
     Et sumta, et posita pace fidele caput.  
 Theseus infernis, superis testatur Achilles,  
     Hic Ixioniden, ille Menœtiaden  
 Sed neque Phlegræos Jovis, Enceladique tumultus  
     Intonet angusto pectore Callimachus :  
 Nec mea conveniunt duro præcordia versu  
     Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.  
 Navita de ventis, de tauris narrat arator,  
     Enumerat miles vulnera, pastor oves :  
 Nos contra angusto versamus prælia lecto

Qua potè quisque, in ea conterat arte diem.  
 Laus in amore mori ; laus altera, si datur uno  
     Posse frui : fruar o solus amore meo.  
 Sed memini, solet illa leves culpare puellas,  
     Et totam ex Helena non probat Iliada.  
 Seu mihi sint tangenda novercæ pocula Phædræ,  
     Pocula privigno non nocitura suo ;  
 Seu mihi Circaeum pereundum est gramine, sive  
     Colchis Iolciacis urat ahena focis ;  
 Una meos quoniam prædata est femina sensus,  
     Ex hac ducentur funera nostra domo.  
 Omnes humanos sanat medicina dolores,  
     Solus Amor morbi non amat artificem.  
 Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,  
     Phœnicis Chiron lumina Phyllirides :  
 Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis  
     Restituit patriis Androgeona focis :  
 Mysus et Æmonia juvenis qua cuspide vulnus  
     Senserat, bac ipsa cuspide sensit opem :  
 Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus  
     Tantaleæ poterit tradere poma manu :  
 Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,  
     Ne tenera assidua colla graventur aqua :  
 Idem Caucasia solvet de rupe Promethei  
     Brachia, et a medio pectore pellet avem.  
 Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,  
     Et breve in exiguo marmore nomen ero :  
 Mæcenæs, nostræ spes invidiosa juventæ,  
     Et vitæ, et morti gloria justa meæ,  
 Si te forte meo ducet via proxima busto,  
     Esseda cœlatis siste Britanna jugis,  
 Taliaque illacrymans mutæ jace verba favillæ ;  
     Huic misero fatum dura puella fuit.

## LIB. IV. 4.

TARPEIUM nemus, et Tarpeiæ turpe sepulcrum  
     Fabor, et antiqui limina capta Jovis.  
 Lucas erat felix, hederoso conditus antro ;  
     Multaque nativis obstrepit arbor aquis ;

Silvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu  
     Fistula poturas ire jubebat oves.  
 Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,  
     Fidaque suggesta castra coronat humo.  
 Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis  
     Cum quateret lento inurmure saxa Jovis?  
 Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,  
     Stabant Romano pila Sabina foro.  
 Murus erant montes. Ubi nunc est curia septa,  
     Bellicus ex illo fonte bibebat equus.  
 Hinc Tarpeia Deæ fontem libavit; at illi  
     Urgebat medium fictilis urna caput.  
 Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,  
     Quæ voluit flamas fallere, Vesta, tuas?  
 Vidit arenosis Tatium pro ludere campis,  
     Pictaque per flavas arma levare jubes.  
 Obstupuit regis facie, et regalibus armis;  
     Interque oblitas excidit urna manus.  
 Sæpe illa immeritæ causata est omina Lunæ,  
     Et sibi tingendas dixit in amne comas:  
 Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,  
     Romula ne faciem læderet hasta Tati.  
 Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,  
     Rettulit hirsutis brachia secta rubis.  
 Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce  
     Vulnera, vicino non patienda Jovi:  
 Ignes castrorum, et Tatiæ prætoria turmæ,  
     Et formosa oculis arma Sabina meis,  
 O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,  
     Dum captiva mei conspicer esse Tati.  
 Romani montes, et montibus addita Roma,  
     Et valeat probro Vesta pudenda meo.  
 Ille equus, ille meos in castra reportet amores,  
     Cui Tatius dextras collocat ipse jubes.  
 Quid mirum in patrios Scyllam sœvisse capillos?  
     Candidaque in sœvos inguina versa canes?  
 Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,  
     Cum patuit lecto stamine torta via?  
 Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,  
     Improba virgineo lecta ministra foco!

Pallados extintos si quis mirabitur ignes ;  
 Ignoscat : lacrymis spargitur ara meis.  
 Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe :  
 Tu cape spinosi roscida terga jugi :  
 Lubrica tota via est, et perfida ; quippe tacentes  
     Fallaci celat limite semper aquas.  
 O utinam magicæ nossem cantamina Musæ ;  
     Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.  
 Te toga pieta decet, non quem sine matris honore  
     Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.  
 Sic hospes, pariamne tua regina sub aula ;  
     Dos tibi non humilis prodita Roma venit.  
 Sin minus at raptæ ne sint impune Sabinæ,  
     Me rape, et alterna lege repende vices.  
 Commissas acies ego possum solvere ; nuptæ,  
     Vos medium palla fœdus initæ mea.  
 Adde, Hymenæe, modos : tubicen fera murmura conde :  
     Credite, vestra meus mollet arma torus.  
 Et jam quarta canit venturam buccina lucem,  
     Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.  
 Experiar somnum ; de te mihi somnia quærar :  
     Fac venias oculis umbra benigna meis,  
 Dixit, et incerto permisit brachia somno,  
     Nescia se furiis accubuisse novis.  
 Nam Vesta, Iliacæ felix tutela favillæ,  
     Culpam alit, et plures condit in ossa faces.  
 Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta  
     Strymonis abscisso fertur aperta sinu.  
 Urbi festus erat, dixere Palilia patres :  
     Hic primus cœpit mœnibus esse dies.  
 Annua pastorum convivia, lusus in urbe,  
     Cum pagana madent fercula deliciis ;  
 Cumque super raros foeni flammantis acervos  
     Trajicit immundos ebria turba pedes.  
 Romulus excubias decrevit in otia solvi,  
     Atque intermissa castra silere tuba.  
 Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem ;  
     Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.  
 Mons erat ascensu dubius, festoque remissus :  
     Nec mora ; vocales occupat ense canes.  
 Omnia præbebant somnos ; sed Jupiter unus

Decrevit pœnis invigilare suis,  
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem ;  
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.  
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)  
Nube, ait, et regni scande cubile mei.  
Dixit, et ingestis comitum super obruit armis.  
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.  
A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus.  
O vigil, injustæ præmia sortis habes.

# M A N I L I U S.

---

LIB. V. 359.

ARCITENENS cum se totum produixerit undis,  
Ter decuma sub parte feri ; formantibus astris,  
Plumeus in cœlum nitidis olor evolat alis :  
Quo surgente trahens lucem, matremque relinquens,  
Ipse quoque aërios populos, cœloque dicatum  
Alituum genus in studium censusque vocabit,  
Mille fluent artes, aut bellum indicere mundo,  
Et medios inter volucrem prensare meatus :  
Aut nido damnare suo ; ramove sedentem,  
Pascentemve super surgentia ducere lina.  
Atque hæc in luxum : jam ventri longius itur  
Quam modo militiæ. Numidarum pascimur oris,  
Phasidos et lucis. Arcessitur inde macellum,  
Unde aurata novo convecta est æquore pellis.  
Quinetiam linguas hominum sensusque docebit  
Aërias volucres, novaque in commercia ducet,  
Verbaque præcipiet naturæ lege negata.  
Ipse Deum cycnus condit ; vocemque sub illo,  
Non totus volucer, secumque immurmurat intus.  
Nec te prætereant clausas qui culmine summo  
Pascere aves gaudent Veneris, et reddere cæcas,  
Aut certis revocare notis : totamque per urbem  
Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas ;  
Quorunq; omnis parvo consistit passere sensus.  
Has erit et similes tribuens olor aureus artes.  
Anguitenens magno circumdatus orbe Draconis  
Cum venit in regione tuæ, Capricorne, figuræ,  
Non inimica facit serpentum membra creatis.  
Accipiunt sinibusque suis, peploque fluenti,  
Osculaque horrendis jungent impune venenis.  
At cum se patrio producit ab æquore Piscis  
In cœlumque ferens alienis finibus ibit,  
Quisquis erit tali capiens sub tempore vitam,  
Litoribus ripisque suos circumferet hamos,  
Pendentem et cæco captabit in æquore piscem,  
Cumque suis domibus conchas valloque latentes  
Protrahit immersus. Nil est audere relictum.  
Quæstus naufragio petitur, corpusque profundo

Immissum pariter cum præda exquiritur ipsa.  
 Nam semper tanti merces est parva laboris.  
 Vix quisquam est locuples. Oneratur terra profundo.  
 Tali sorte suas artes per litora tractat,  
 Aut emit externos pretio mutatque labores  
 Institor æquoreæ varia sub imagine mercis.  
 Cumque Fidis magno succedunt sidera mundo,  
 Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,  
 Qui commissa suis rimabitur argumentis,  
 In lucemque trahet tacita latitantia fraude.  
 Hinc etiam immitis tortor, poenæque minister,  
 Et quisquis vero favit, culpamve perodit,  
 Proditor; atque alto qui jurgia pectore tollat.  
 Cœruleus ponto cum se Delphinus in astra  
 Eredit, et squammam stellis imitantibus exit,  
 Ambiguus terræ partus, pelagoque creatur.  
 Pars ex diverso studet, et sociatur utrumque  
 In genus, atque uno digestas semine surgit.  
 Nam velut ipse citis perlabilis æquora pinnis,  
 Nunc summum scindens pelagus, nunc alta profundi,  
 Et sinibus vires sumit, fluctumque figurat;  
 Sic, venit ex illo quisquis, volitabit in undis,  
 Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,  
 Nunc plausa resonabit aqua: nunc æquore mersas  
 Deducet palmas furtivus remus in ipso:  
 Nunc in aquas rectus veniet, passimque natabit,  
 Et vada mentitus reddet super æquora campum:  
 Aut immota ferens in tergus membra latusque  
 Non onerabit aquas, suminisque accumbet in undis,  
 Pendebitque super tutum sine remige pontum;  
 Illis in ponto jucundum est quærere pontum,  
 Corpora qui mergunt undis, ipsumque sub antris  
 Nerea, et æquoreas conantur visere Nymphas:  
 Exportantque maris prædas, et raptæ profundo  
 Naufragia, atque imas avidi scrutantur arenas.  
 Adumeres etiam illa licet cognata per artem  
 Corpora, quæ valido saliunt excussa petauro,  
 Alternosque crient motus; elatus et ille  
 Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille:  
 Membrane per flamas orbesque emissæ flagrantes,  
 Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis;  
 Dulcissimeq[ue] sanguinemq[ue] iactantur.

Et viduata volant pennis, et in aëre ludunt.  
 At si deficient artes, remanebit in illis  
 Materies tamen apta. Dabit natura vigorem,  
 Atque alacres cursus, campoque volantia membra.  
 Sed regione means Cepheus humentis Aquari  
 Non dabit in lusum mores. Facit ora severa:  
 Frontes ac vultus componit pondere mentis.  
 Pascentur curis, veterumque exempla revolvent  
 Semper, et antiqui laudabunt verba Catonis,  
 Tutorisve supercilium, patruive rigorem.  
 Componet teneros etiam qui nutriat annos,  
 Et dominum dominus prætextæ lege sequatur,  
 Quodque aget, id credat, stupefactus imagine juris.  
 Quinetiam tragico præstabunt verba cothurno,  
 Cujus erit quanquam in chartis stylus ipse cruentus,  
 Nec minus et scelerum facie, rerumque tumultu  
 Gaudebunt: atri luctum memorare sepulchri,  
 Ructanteaque patrem natos, Solemque reversum,  
 Et cæcum sine luce diem.  
 Quin et Medeæ natos, fratremque patremque:  
 Hinc vestes, flamas illinc pro munere missas;  
 Aëriamque fugam; visosque ex ignibus angues.  
 Mille alias rerum species in carmina ducent.  
 Forsitan ipse etiam Cepheus referetur in actus.  
 At si quis studio scribendi mitior ibit,  
 Comica componet lætis spectacula ludis:  
 Ardentes juvenes, raptas sub amore puellas,  
 Elusosque senes, agilesque per omnia servos,  
 Queis in cuncta suam produxit sæcula vitam  
 Doctor in urbe sua linguae sub flore Menander,  
 Qui vita ostendit vitam, chartisque sacravit.  
 Et, si tanta operum vires commenta negarint,  
 Externis tamen aptus erit nunc voce poetis,  
 Nunc tacito gestu; referetque affectibus ora,  
 Et sua dicendo faciet; solusque per omnes  
 Ibit personas et turbam reddet in uno.  
 Omnis fortunæ vultum per membra reducet,  
 Äquabitque choros gestu, cogetque videre  
 Præsentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem.

# LUCANUS.

---

LIB. I. 121.

Tu nova ne veteres obscurent acta triumphos,  
Et victis cedat piratica laurea Gallis,  
Magne, times : te jam series, ususque laborum  
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.  
Nec quenquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,  
Pompeiusve parem. Quis justius induit arma,  
Scire nefas : magno se judice quisque tuetur :  
Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.  
Nec coiere pares : alter vergentibus annis  
In seuum, longoque togæ tranquillior usu  
Dedidicit jam pace ducem : famæque petitor  
Multa dare in volgus : totus popularibus auris  
Impelli, plausuque sui gaudere theatri :  
Nec reparare novas vires ; multumque priori  
Credere fortunæ. Stat magni nominis umbra.  
Qualis frugifero quercus sublimis in agro  
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans  
Dona ducum : nec jam validis radicibus hærens,  
Pondere fixa suo est : nudosque per aëra ramos  
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbras :  
At quamvis primo nutet casura sub Euro,  
Tot circum silvæ firmo se robore tollant,  
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum  
Nomen erat, nec fama ducis : sed nescia virtus  
Stare loco : solusque pudor non vincere bello.  
Acer, et indomitus ; quo spes, quoque ira vocasset,  
Ferre manum, et nunquam temerando parcere ferro.  
Successus urgere suos : instare favori  
Numinis : impellens quicquid sibi summa petenti  
Obstaret : gaudensque viam fecisse ruina.  
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen

Eminuit, rupitque diem, populosque paventes  
 Terruit, obliqua præstinguens lumina flamma :  
 In sua templa furit : nullaque exire vētante  
 Materia, magnamque cadens, magnamque revertens  
 Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.

Hæ ducibus causæ suberant : sed publica belli  
 Semina, quæ populos semper mersere potentes.  
 Namque ut opes mundo nimias fortuna subacto  
 Intulit, et rebus mores cessere secundis,  
 Prædaque et hostiles luxum suasere rapinæ :  
 Non auro, tectisve modus : mensasque priores  
 Aspernata famæ : cultus gestare decoros .  
 Vix nūribus, rapuere mares : fecunda virorum  
 Paupertas fugitur, totoque accersitur orbe,  
 Quo gens quæque perit. Tum longos jungere fines  
 Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli  
 Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones,  
 Longa sub ignotis extendere rura colonis  
 Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,  
 Quem suā libertas immotis pasceret armis.  
 Inde iræ faciles, et, quod suassisset egestas,  
 Vile nefas : magnumque decus, ferroque petendum,  
 Plus patria potuisse sua : mensuraque juris  
 Vis erat : hinc leges, et plebiscita coactæ ;  
 Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni :  
 Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris  
 Ipse sui populus ; letalisque ambitus urbi,  
 Annua venali referens certamina Campo :  
 Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus ;  
 Et concussa fides ; et multis utile bellum.

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes ;  
 Ingentesque animo motus, bellumque futurum  
 Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,  
 Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,  
 Clara per obscuram voltu mœstissima noctem,  
 Turrigerò canos effundens vertice crines,  
 Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,  
 Et gemitu permixta loqui : Quo tenditis ultra ?  
 Quo fertis mea signa, viri ? si jure venitis,  
 Si cives : huc usque licet. Tum perculit horror

Membra ducis, riguere comæ, gressumque coercens  
 Languor in extrema tenuit vestigia ripa.  
 Mox ait: O magna qui mœnia prospicis urbis  
 Tarpeia de rupe touans, Phrygiique penates  
 Gentis Iuleæ, et rapti secreta Quirini,  
 Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,  
 Vestalesque foci, summi que o numinis instar  
 Roma, fave cœptis: non te furialibus armis  
 Persequor: en! adsum victor terraque marique  
 Cæsar, ubique tuus, (liceat modo) nunc quoque miles.  
 Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.  
 Inde moras solvit belli, tumidumque per annem  
 Signa tulit propere. Sic cum squalentibus arvis  
 Æstiferæ Libyes viso leo comminus hoste  
 Subsedit dubius, totam dum colligit iram;  
 Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,  
 Erexitque jubas, vasto et grave murmur hiatu  
 Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri  
 Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,  
 Per ferrum, tanti securus vulneris, exit.

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis  
 Puniceus Rubicon, cuin fervida conduit æstas:  
 Perque imas serpit valles, et Gallica certus  
 Limes ab Ausoniis disternat arva colonis.  
 Tunc vires præbebat hiems, atque auxerat undas  
 Tertia jam gravo pluvialis Cynthia cornu,  
 Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.  
 Primus in obliquum sonipes opponitur annem  
 Excepturus aquas: molli tum cetera rumpit  
 Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.  
 Cæsar ut adversam, superato gurgite, ripam  
 Adtigit, Hesperiæ vetitis et constitit oris,  
 Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo;  
 Te, Fortuna, sequor: procul hinc jam fœdera sunto.  
 Credidimus fatis: utendum est judice bello.  
 Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor  
 Impiger. It torto Balearis verbere fundæ  
 Ocior, et missa Parthi post terga sagitta:  
 Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes  
 Solis lucifero fugiebant astra relicto.

## LIB. III. 1.

PROPULIT ut classem velis cedentibus Auster  
 Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,  
 Omnis in Ionios spectabat navita fluctus :  
 Solus ab Hesperia non flexit lumina terra  
 Magnus, dum patrios portus, dum litora numquam  
 Ad visus redditura suos, tectumque cacumen  
 Nubibus, et dubios cernit vanescere montes,  
 Inde soporifero cesserunt languida somno  
 Membra ducis : diri cum plena horroris imago  
 Visa caput mœstum per hiantes Julia terras  
 Tollere, et accenso furialis stare sepulcro.  
 Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum  
 Ad Stygias, inquit, tenebras, manesque nocentes,  
 Post bellum civile trahor. Vidi ipsa tenentes  
 Eumenidas, quaterent vestris quas lampadas armis.  
 Præparat innumeras puppes Acherontis adusti  
 Portitor : in multas laxantur Tartara poenas.  
 Vix operi junctæ dextra properante sorores  
 Sufficiunt : lassant rumpentes stamina Parcas.  
 Conjuge me lætos duxisti, Magne, triumphos :  
 Fortuna est mutata toris : semperque potentes  
 Detrahere in cladem fato damnata maritos  
 Innupsit tepido pellex Cornelia busto.  
 Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,  
 Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,  
 Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,  
 Sed teneat Cæsarque dies, et Julia noctes.  
 Me non Lethææ, conjux, oblia ripæ  
 Inmemorem fecere tui, regesque silentum  
 Permisere sequi. Veniam, te bella gerente,  
 In medias acies. Numquam tibi, Magne, per umbras  
 Perque meos manes generum non esse licebit.  
 Abscindis frustra ferro tua pignora. Bellum  
 Te faciet civile meum. Sic fata, refugit  
 Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.

Ille, Dei quamvis cladem, manesque minentur,  
 Major in arma ruit, certa cum mente malorum.  
 Et, quid, ait, vani terremur imagine visus ?  
 Aut nihil est sensus animis a morte relictum,  
 Aut mors ipsa nihil. Titan iam pronus in tur-

Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis,  
 Quantum deesse solet lunæ, seu plena futura est,  
 Seu jam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus  
 Puppibus accessum facilem: legere rudentes,  
 Et posito remis petierunt litora malo.

## LIB. III. 375.

Haud procul a muris tumulus surgentis in altum  
 Telluris parvum diffuso vertice campum  
 Explicat: hæc patiens longo munimine cingi  
 Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.  
 Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem  
 Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva.  
 Tunc res immenso placuit statura labore,  
 Aggere diversos vasto committere colles.  
 Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem  
 Clauderet, a summis perduxit ad æquora castris  
 Longum Cæsar opus, fontesque et pabula campi  
 Amplexus fossa, densas tollentia pinnas  
 Cespitibus, crudaque extruxit brachia terra.

Jam satis hoc Grajæ memorandum contigit urbi,  
 Æternumque decus, quod non impulsa, neque ipso  
 Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli  
 Præcipitem cursum: raptisque a Cæsare cunctis,  
 Vincitur una mora. Quantum est, quod fata terentur!  
 Quodque virum toti properans imponere mundo  
 Perdidit hos Fortuna dies! tunc omnia late  
 Procumbunt nemora, et spolian tur robore silvæ:  
 Ut, cum terra levis medium virgultaque molem  
 Suspendant, structa laterum compage ligatam  
 Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.

Lucus erat longo numquam violatus ab ævo,  
 Obseurum cingens connexis aëra ramis,  
 Et gelidas alte submotis solibus umbras.  
 Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes  
 Silvani Nymphæque tenent, sed barbara ritu  
 Sacra deum, structæ diris altaribus aræ;  
 Omnis et humanis lustrata cruoribus arbos.  
 Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas,  
 Illis et volucres metuunt insistere ramis,  
 Et lustris recubare feræ: nec ventus in illas

Incubuit silvas, excussaque nubibus atris  
 Fulmina: non ullis frondem præbentibus auris,  
 Arboribus suus horror inest. Tum plurima nigris  
 Fontibus unda cadit, simulacraque moesta Deorum  
 Arte carent, cæsisque extant informia truncis.  
 Ipse situs, putrique facit jam robore pallor  
 Adtonitos: non vulgatis sacrata figuris  
 Numinæ sic metuunt: tantum terroribus addit,  
 Quos timeant, non nosse Deos. Jam fama ferebat  
 Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,  
 Et procumbentes iterum consurgere taxos,  
 Et non ardoris fulgere incendia silvæ,  
 Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.  
 Non illum cultu populi propiore frequentant,  
 Sed cessere Deis. Medio cum Phœbus in axe est,  
 Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos  
 Accessus, dominumque timet deprendere luci.

Hanc jubet immisso silvam procumbere ferro:  
 Nam vicina operi, belloque intacta priore  
 Inter nudatos stabat densissima montes.  
 Sed fortis tremuere manus, motique verenda  
 Majestate loci, si robora sacra ferirent,  
 In sua credebant reddituras membra secures.  
 Implicitas magno Cæsar torpore cohortes  
 Ut vidit, primus raptam librare bipennem  
 Ausus, et aëriam ferro proscindere quercum,  
 Effatur merso violata in robora ferro:  
 Jam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam,  
 Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis  
 Imperiis non sublato secura pavore  
 Turba, sed expensa Superorum et Cæsaris ira.  
 Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,  
 Silvaque Dodones, et fluctibus aptior alnus,  
 Et non plebeios luctus testata cupressus,  
 Tum primum posuere comas, et fronde carentes  
 Admisere diem: propulsaque robore denso  
 Sustinuit se silva cadens. Genuere videntes  
 Gallorum populi: muris sed clausa juventus  
 Exsultant. Quis enim læsos impune putaret  
 Esse Deos? servat multos fortuna nocentes:  
 Et tantum miseris irasci numina possunt.

Utque satis cæsum nemoris, quæsita per agros  
 Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro  
 Agricolæ raptis annum flevere juvencis.

## LIB. V. 504.

SOLVERAT armorum fessas nox languida curas:  
 Parta quies miseris, in quorum pectora somno  
 Dat vires fortuna minor: jam castra silebant:  
 Tertia jam vigiles commoverat hora secundos,  
 Cæsar sollicito per vasta silentia gressu  
 Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis,  
 Sola placet Fortuna comes. Tentoria postquam  
 Egressus, vigilum somno cedentia in membra  
 Transiluit, questus tacite quod fallere posset;  
 Litora curva legit, primisque invenit in undis  
 Rupibus exesis bærentem fune carinam.  
 Rectorem, dominumque ratis secura tenebat  
 Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,  
 Sed sterili junco, cannaque intexta palustri,  
 Et latus inversa nudum munita phaselio.  
 Hæc Cæsar bis terque manu quassantia tectum  
 Limina commovit: molli consurgit Amyclas,  
 Quem dabat alga, toro. Quisnam mea naufragus, inquit,  
 Tecta petit? aut quem nostræ Fortuna coegit  
 Auxilium sperare casæ? Sic fatus, ab alto  
 Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,  
 Scintillam tenuem commotos pavit in ignes:  
 Securus belli: prædam civilibus armis  
 Scit non esse casas. O vitæ tuta facultas  
 Pauperis, angustique lares! O munera nondum  
 Intellecta deûm! quibus hoc contingere templis,  
 Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu  
 Cæsarea pulsante manu? Tum poste recluso,  
 Dux ait: Exspecta votis majora modestis,  
 Spesque tuas laxa, juvenis: si jussa secutus  
 Me vehis Hesperiam, non ultra cuncta carinæ  
 Debebis, manibusve inopem duxisse senectam.  
 Ne cessa præbere Deo tua fata volenti  
 Angustos opibus subitis implere Penates.  
 Sic fatur: quamquam plebeio tectus amictu,  
 Indocilis privata loqui. Tum pauper Amyclas:

Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.  
 Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,  
 Concordesque tulit radios : Noton altera Phœbi,  
 Altera pars Borean diducta luce vocabat.  
 Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,  
 Spectantes oculos infimo lumine passus.  
 Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,  
 Aut orbis medii puros exesa recessus :  
 Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,  
 Ventorumque notam rubuit : tum lurida pallens  
 Qra tulit, voltu sub nubem tristis ituro.  
 Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus,  
 Nec placet incertus, qui provocat æquora, Delphin :  
 Aut siccum quod mergus amat : quodque ausa volare  
 Ardea sublimis pennæ confisa natanti :  
 Quodque caput spargens undis, velut occupet imbre,  
 Instabili gressu metitur litora cornix.  
 Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,  
 Haud dubitem præbere manus ? vel litora tangam  
 Jussa, vel hoc potius pelagus, flatusque negabunt.  
 Hæc fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis :  
 Ad quorum motus non solum lapsa per altum  
 Aera dispersos traxere cadentia sulcos  
 Sidera : sed summis etiam quæ fixa tenentur  
 Astra polis, sunt visa quat. Niger inficit horror  
 Terga maris : longo per multa volumina tractu  
 Æstuat unda minax : flatusque incerta futuri  
 Turbida testantur conceptos æquora ventos.  
 Tunc rector trepidæ fatur ratis : Adspice sævum  
 Quanta paret pelagus : Zephyros intendat, an Euros,  
 Incertum est : puppim dubius ferit undique pontus.  
 Nubibus, et cœlo Notus est : si murmura ponti  
 Consulimus, Cori verrent mare. Gurgite tanto,  
 Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.  
 Desperare viam, et vetitos convertere cursus  
 Sola salus. Liceat vexata litora puppe  
 Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus.

Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar.  
 Spérne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti  
 Trade sintum. Italiam si cœlo auctore recusas,  
 Me pete. Sola tibi caussa est, ac justa timoris,

Vectorem non nosse tuum, quem numina numquam  
 Destituunt, de quo male tunc Fortuna meretur,  
 Cum post vota venit. Medias perrumpe procellas  
 Tutela secure mea. Cœli iste fretique,  
 Non puppis nostræ labor est: hanc Cæsare pressam  
 A fluctu defendet onus. Nec longa furori  
 Ventorum sævo dabitur mora: proderit undis  
 Ista ratis. Ne flecte manus: fuge proxima velis  
 Litora: tum Calabro portu te crede potitum,  
 Cum jam non poterit puppi, nostræque saluti  
 Altera terra dari. Quid tanta strage paretur  
 Ignoras? quærit pelagi cœlique tumultu  
 Quod præstet Fortuna mihi. Non plura locuto  
 Avolsit laceros, percussa puppe, rudentes  
 Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum  
 Vela tulit: sondit victis compagibus alnus.  
 Inde ruunt toto concita pericula mundo.

## LIB. IX. 1.

Ar non in Pharia manes jacuere favilla,  
 Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:  
 Prosiluit busto, semiustaque membra relinquens,  
 Degeneremque rogum, sequitur convexa Touantis,  
 Qua niger astriferis connectitur axibus aër:  
 Quodque patet terras inter, lunæque meatus  
 Semidei manes habitant, quos ignea virtus  
 Innocuos vitæ patientis ætheris iuni  
 Fecit et æternos animam collegit in orbes.  
 Non illuc auro positi, nec ture sepulti  
 Perveniunt. Illic postquam se lumine vero  
 Implevit; stellasque vagas miratus, et astra  
 Fixa polis, vidi quanta sub nocte jaceret  
 Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.  
 Hinc super Emathiæ campos, et signa cruentí  
 Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes;  
 Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti  
 Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.  
 Ille ubi pendebant casus, dubiumque manebat,  
 Quem mundi dominum facerent civilia bella,  
 Oderat et Magnum, quamvis comes isset in arma

Auspiciis raptus patriæ, ductuque senatus :  
 At post Thessalicas clades jam pectore toto  
 Pompeianus erat. Patriam tutore carentem  
 Excepit, populi trepidantia membra refovit,  
 Ignavis manibus projectos reddidit enses :  
 Nec regnum cupiens gessit civilia bella,  
 Nec servire timens. Nil caussa fecit in armis  
 Ipse sua : totæ post Magni funera partes  
 Libertatis erant : quas ne per litora fusas  
 Colligeret rapido victoria Cæsaris actu,  
 Corcyrae secreta petit, ac mille carinis  
 Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ.  
 Quis patibus tantis fugientia crederet ire  
 Agmina ? quis pelagus victas arctasse carinas ?

Dorida tunc Malean, et apertam Tænaron umbris,  
 Inde Cythera petit : Boreaque urguente carinas  
 Creta fugit : Dictæa legit, cedentibus undis,  
 Litora. Tunc ausum classi præcludere portus  
 Impulit, ac sævas meritum Phycunta rapinas  
 Sparsit : et hinc placidis alto delabitur auris  
 In litus, Palinure, tuum : neque enim æquore tantum  
 Ausonio monumenta tenes, portusque quietos  
 Testaris Libyes Phrygio placuisse marito.  
 Cum procul ex alto tendentes vela carinæ  
 Ancipites tenuere animos, sociosue malorum,  
 An veherent hostes : præceps facit omne timendum  
 Victor, et in nulla non creditur esse carina.  
 Ast illæ puppes luctus planctusque ferebant,  
 Et mala vel duri lacrimas motura Catonis.

## LIB. IX. 544.

STABANT ante fores populi, quos miserat Eos,  
 Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant :  
 Sed Latio cessere duci : comitesque Catonem  
 Orant, exploret Libycum memorata per orbem  
 Numinæ, de fama tam longi judicet ævi.  
 Maximus hortator scrutandi voce Deorum  
 Eventus Labienus erat. Sors obtulit, inquit,  
 Et Fortuna viæ, tam magni numinis ora,  
 Consiliumque dei ; tanto duce possumus uti

Per Syrtes, bellique ratos cognoscere casus.  
 Nam cui crediderim superos arcana datus,  
 Dicturosque magis, quam sancto vera Catoni ?  
 Certe vita tibi semper directa supernas  
 Ad leges, sequerisque Deum. Datur, ecce ! loquendi  
 Cum Jove libertas : inquire in fata nefandi  
 Cæsaris, et patriæ venturos excute mores :  
 Jure suo populis uti, legumque licebit,  
 An bellum civile perit. Tua pectora sacra  
 Voce reple : duræ saltem virtutis amator  
 Quære quid est virtus, et posce exemplar honesti.

Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat,  
 Effudit dignas adytis e pectore voces.  
 Quid quæri, Labiene, jubes ? an liber in armis  
 Occubuisse velim potius, quam regna videre ?  
 An sit vita nihil, sed longum differat ætas ?  
 An noceat vis ulla bono ? Fortunaque perdat  
 Opposita virtute minas ? laudandaque velle  
 Sit satis, et numquam successu crescat honestum ?  
 Scimus, et hæc nobis non altius inserit Hammon.  
 Hæremus cuncti Superis, temploque tacente,  
 Nil facimus non sponte Dei : nec vocibus ullis  
 Numen eget : dixitque semel nascentibus auctor  
 Quidquid scire licet : steriles nec legit arenas,  
 Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum.  
 Estne Dei sedes, nisi terra, et pontus, et aër,  
 Et cœlum, et virtus ? Superos quid quærimus ultra ?  
 Juppiter est quocumque vides, quodcumque moveris.,  
 Sortilegis egeant dubii, semperque futuris  
 Casibus ancipites : me non oracula certum,  
 Sed mors certa facit : pavido fortique cadendum est.  
 Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur :  
 Servataque fide templi discedit ab aris,  
 Non exploratum populis Hammona relinquens.

# SILIUS ITALICUS.

---

## LIB. X. I.

PAULLUS, ut adversam videt increbescere pugnam,  
Ceu fera, quæ, telis circumcingentibus, ulti  
Assilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem,  
In medios fert arma globos, seseque periclis  
Ingerit, atque onni letum molitur ab ense.  
Increpat horrendum, Perstate, et fortiter, oro,  
Pectoribus ferrum accipite, ac sine vulnere terga  
Ad manes deferete, viri. Nisi gloria mortis,  
Nil superest. Idem sedes adeuntibus imas  
Hic vobis dux Paullus erit. Velocius inde  
Hæmonio Borea, pennaque citatior ibat,  
Quæ redit in pugnas fugientis arundine Parthi;  
Atque, ubi certamen primi ciet immemor ævi  
Fetus Gradiwo mentem Cato, fertur in hostes;  
Ac juvenem, quem Vasco levis, quem spicula densus  
Cantaber urgebat, letalibus eripit armis.

Abscessere retro, pavidaque in terga relatost  
Abduxere gradus. Ut lætus valle remota  
Cum capream venator agit, fessamque propinquo  
Insequitur cursu, et sperat jam tangere dextra,  
Si ferus adverso subitum se protulit antro  
Et stetit ante oculos frendens leo, deserit una  
Et color, et sanguis, et tela minora periclo:  
Nec jam speratae cura est in pectore prædæ.  
Nunc in restantes mucronem comminus urget,  
Nunc trepidos ac terga mala formidine versos  
Assequitur telis. Furere, ac decorare labores,  
Et sævire juvat: cadit ingens nominis expers  
Uni turba viro: atque alter si detur in armis  
Paullus Dardaniis, amittant nomina Cannæ.

Tandem inclinato cornu sine more ruebat  
Prima acies, non parca fugæ. Labienus et Ocris

Sternuntur leto atque Opiter, quos Setia colle  
 Vitifero, celsis Labienum Cingula saxa  
 Miserunt muris. Junxit fera tempora leti  
 Sidonius non consimili discrimine miles :  
 Nam Labienus obit penetrante per ilia corno ;  
 Fratres, hic humero, cecidere, hic poplite, cæsis.  
 Oppetis et Tyrio super inguina fixe veruto  
 Mæcenas, cui Mæonia venerabile terra,  
 Et sceptris olim celebratum nomen Etruscis.  
 Per medios agitur, projecto lucis amore  
 Hannibalem lustrans, Paullus. Sors una videtur  
 Aspera, si occumbat ductore superstite Pœno.

Quam metuens molem (neque enim, certamine surito,  
 Tempestas tanta et rabies impune fuissent)  
 In faciem pavidi Juno conversa Metelli,  
 Quid vanos, inquit, Latio spes unica Consul,  
 Incassumque moves, fato renuente, furores ?  
 Si superest Paullus, restant Aeneia regna :  
 Sin secus, Ausoniā tecum trahis. Ire tumentem  
 Tu contra juvenem, et caput hoc abscindere rebus  
 Turbatis, o Paulle, paras ? Nunc Hannibal ipsi  
 (Tam lætus bello est) ausit certare Tonanti.  
 Et jam conversis (vidi nam flectere) habenis  
 Evasit Varro, ac sese ad meliora reservat.  
 Sit spatium fatis : et, dum datur, eripe leto  
 Huc nostris majorem animam : mox bella capesses.

Ad quæ suspirans ductor, Mortuinne sub armis  
 Cur poscam, causa ista parum est, quod talia nostræ,  
 Pertulerint aures suadentem monstra Metellum ?  
 I, demens, i, carpe fugam. Non hostica tela  
 Excipias tergo, Superos precor. Integer, oro,  
 Intactusque abeas, atque intres mœnia Romæ  
 Cum Varrone simul. Talin', pavidissime, dignum  
 Me vita, pulchraque indignum morte putasti ?  
 Quippe furit Pœnus, qui nunc contraria bella  
 Ipsi ferre Jovi valeat ! Proh degener altæ  
 Virtutis patrum ! Quando certamen inire,  
 Cuive virûm mallem memet componere, quam qui  
 Et victus dabit et victor per secula nomen ?  
 Talibus increpitat, mediosque aufertur in hostes,  
 Ac retro cursum tendentem ad crebra suorum

Agmina, et in densis furantem membra maniplis  
 Per conferta virūm et stipata umbonibus arma  
 Consequitur melior planta, atque obtruncat Acheram.  
 Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros,  
 Erroresque ferae sollers per devia mersa  
 Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro  
 Lustrat inaccessos venantum indagine saltus ;  
 Nec sistit, nisi, conceptum sectatus odoreni,  
 Deprendit spissis arcana cubilia dumis.

At conjux Jovis, ut Paullum depellere dictis  
 Nequidquam fuit, et Consul non desinit iræ,  
 In faciem Mauri rursus mutata Gelestæ,  
 Avocat ignarum sævo a certamine Poenum.  
 Huo tela, huc, inquit, dextram implorantibus affer,  
 O decus æternum Carthaginis. Horrida juxta  
 Stagnantes Consul molitur prælia ripas :  
 Et laus haud alio major datur hoste perempto.  
 Hæc ait ; et juvenem diversa ad prælia raptat.

Flumineo Libycam turbabat in aggere pubem :  
 Cristæ nomen erat. Bis terni juncta ferebant  
 Arma senem circa nati : pauperque penatum,  
 Sed domus haud obscura Tuder, notusque per Umbros  
 Bellator populos, factis et cæde docebat  
 Natorum armigeram pugnas tractare cohortem.  
 Unanima inde phalanx, crudo ducente magistro,  
 Postquam hominum satiata nece est, prostraverat ictu  
 In numero cum turre feram, facibusque secutis  
 Ardentem monstri spectabat læta ruinam :  
 Cum subitus galeæ fulgor, conoque coruscæ  
 Majore intremuere jubæ : nec tarda senectus ;  
 (Agnovit nám luce virum) rapit agmine natos  
 Sæva parens ultiro in certamina, et addere passim  
 Tela jubet, nec manantes ex ore feroci,  
 Aut quæ flagrarent galea, exhorrescere flamas.

Armiger haud aliter magni Jovis, anxia nido  
 Cum dignos nutrit gestanda ad fulmina fetus,  
 Obversam spectans ora ad Phaethontia prolem,  
 Explorat dubios Phœbea lampade natos.  
 Jamque suis daret ut pugnæ documenta vocantis,  
 Stridentem gelidis vibravit viribus hastam,  
 Quæ medias raptim velox prætervolat auras.

Hæsit multipli non alte cuspis in auro,  
Ac senium invalido dependens prodidit ictu.

Cui Pœnus : Quinam ad cassos furor impulit ictus  
Exsanguem senio dextram ? Vix prima momordit  
Tegmina Callaici cornus tremebunda metalli.  
En, reddo tua tela tibi : memorabilis ista  
A nobis melius discet bellare juventus.  
Sic propria miseri transfigit pectora corno.  
At contra, horrendum ! bis terna spicula dextra  
Torta volant, paribusque ruunt conatibus hastæ.  
Haud secus ac Libycam feta tellure leænam  
Venator premit obsesso cum Maurus in antro,  
Invadunt rabidi jam dudum, et inania tentant  
Nondum sat firmo catuli certamina dente.  
Consumit clipeo tela, et, collectus in arma,  
Sustinet ingentes crepitantibus ictibus hastas  
Sidonius ductor : nec jam per vulnera credit,  
Aut per tot cædes actum satis, iraque anhelat,  
Ni leto det cuncta virûm, jungatque parenti  
Corpora, et excidat miseros cum stirpe penates.

Tunc Abarim affatur ; namque una hic armiger ira  
Flammabat Martem, atque omnes comes ibat in actus :  
Suppedita mihi tela. Vadis liventis Averni  
Demitti globus ille cupit, qui nostra lacerat  
Tegmina ; jam stultæ fructus pietatis habebit.  
Hæc fatus jaculo Lucam, qui maximus ævi,  
Transadigit : pressa juvenis cum cuspide labens  
Arma super fratrum resupino concidit ore.  
Mortiferum inde manu properantem vellere ferrum  
Pilo Volsonem (namque hoc de strage jacentum  
Fors dabat) affixa sternit per tegmina nare.  
Tum Vesulum, calido lapsantem in sanguine fratrum,  
Ense metit rapido : plenamque (heu barbara virtus !)  
Abscisi galeam capitis, ceu missile telum,  
Conversis in terga jacit. Telesinus, ad ossa  
Illiso saxo, qua spina interstruit artus,  
Occumbit ; fratriisque videt labentia membra  
Quercentis, quem funda procul per inane voluta  
Sopierat, dum supremam Telesinus in auras  
Exhalat lucem, et dubitantia lumina condit.

At fessus moerore simul, cursuque, metuque,

Et tamen haud iræ vacuus, non certa per æquor  
 Interdum insistens Perusinus membra ferebat ;  
 Hunc sude, quam raptam Libyci per terga jacentis  
 Armiger obtulerat monstri, super inguina fixum  
 Obtruncat, quercuque premit violentus obusta.  
 Tentarat precibus sævum lenire furorem,  
 Sed Stygius primos implevit fervor hiatus,  
 Et pulmone tenus demisit anhelitus ignem.  
 Tandem cum toto cecidit grege, nomen in Umbro  
 Clarum, Crista, diu populo. Ceu fulmine celsa  
 Æsculus, aut, proavis ab origine cognita, quercus  
 Cum fumat percussa Jovi, sacrosque per ævum  
 Æthereo ramos populantur sulfure flammæ :  
 Donec victa Deo late procumbit, et omnem  
 Collabens operit spatiose stipite prolem.

Atque ea dum juxta Tyrius stagna Aufida ductor  
 Molitur, Paullus, numerosa cæde futuram  
 Ultus jam morteni, ceu victor bella gerebat  
 Inter mille viros. Jacet ingens Phorcys ab antris  
 Herculeæ Calpes, cælatus Gorgone parmam,  
 Unde genus tristique Dææ manabat origo.  
 Hunc objectantem sese atque antiqua tumentem  
 Nomina saxicæ monstrosa e stirpe Medusæ,  
 Dum lævum petit incumbens violentius inguen,  
 Detrahit, excelsi correptum vertice coni,  
 Afflictumque premens, tergo qua balteus imo  
 Sinuatur, coxaque sedet munimen utraque,  
 Conjecto fodit ense super : vomit ille calentem  
 Sanguinis effundens per hiantia viscera rivum,  
 Et subit Ætolos Atlanticus accola campos.

Has inter strages rapido terrore coorti  
 Invadunt terga, atque averso turbine miscent  
 Bella inopina viri, Tyrius quos fallere doctos  
 Hanc ipsam pugnæ rector formarat ad artem :  
 Succinctique dolis, fugerent ceu Punica castra,  
 Dediderant dextras. Tum totis mentibus actam  
 In cædes aciem pone atque in terga ruentes  
 Præcipitant. Non hasta viros, non deficit ensis.  
 E strage est ferrum, atque evulsa cadavere tela.  
 Raptum Galba procul (neque enim virtutis amore)

Auferri signum, connisus corpore toto  
 Victorem assequitur, letalique occupat ictu.  
 Ac dum comprehensam cæso de corpore prædam  
 Avellit, tardeque manus moribunda remittit,  
 Transfixus gladio propere accurentis Amorgi  
 Occidit, immoriens magnis non prosperus ausis.

Hæc inter, veluti nondum satiasset Enyo  
 Iras sæva truces, sublatum pulvere campum  
 Vultenus rotat, et cudentes torquet arenas.  
 Jamque reluctantes stridens immane procella  
 Per longum tulit ad campi suprema, cavisque  
 Afflictos ripis tumidum demersit in amnem.  
 Hic tibi finis erat, metas hic Aufidus ævi  
 Servabat tacito, non felix Curio, leto.  
 Namque, furens animi dum consternata moratur  
 Agmina, et oppositu membrorum sistere certat,  
 In præceps magna propulsus mole ruentum  
 Turbatis hauritur aquis, fundoque volutus  
 Hadriaca jacuit sine nomine mortis arena.

Ingens ferre mala, et Fortunæ subdere colla  
 Nescius, adversa fronte incurrebat in arma  
 Vincentum Consul; pereundi Martius ardor,  
 Atque animos jam sola dabat fiducia mortis:  
 Cum Viriathus agens telis, regnator Hiberæ  
 Magnanimus terræ, juxta atque ante ora furentis  
 Obtruncat Paulli fessum certaminis hostem.  
 Heu dolor, heu lacrimæ! Servilius optima belli,  
 Post Paullum belli pars optima, corruit ictu  
 Barbarico, magnamque cadens leto addidit uno  
 Invidiam Cannis. Tristem non pertulit iram  
 Consul, et insani quanquam contraria venti  
 Exarmat vis, atque obtendit pulvere lucem,  
 Squalentem rumpens ingestæ torvus arenæ  
 Ingreditur nimbum, ac ritu jam moris Hiberi  
 Carmina pulsata fundentem barbara cætra  
 Invadit, lævæque fodit vitalia mammæ.  
 Hic fuit extremus cædum labor. Addere bello  
 Haud ultra licuit dextram, nec tanta relictum est  
 Uti, Roma, tibi posthac ad prælia Paullo.

Saxum ingens, vasto libratum pondere, cæca  
 Venit in ora manu, et, perfractæ cassidis æra

Ossibus infodiens, complevit sanguine vultus.  
 Inde pedem referens, labentia membra propinquo  
 Imposuit scopulo, atque, undanti vulnere anhelans,  
 Sedit terribilis clipeum super, ore cruento :  
 Immanis ceu, depulsis levioribus hastis,  
 Accepit leo cum tandem per pectora ferrum,  
 Stat teli patiens media tremebundus arena,  
 Ac, manante jubis rictuque et naribus unda  
 Sanguinis, interdum languentia murmura torquens,  
 Effundit patulo spumantem ex ore cruorem.

Tum vero incumbunt Libyes super. Ipse citato  
 Ductor equo, qua flatus agit, qua pervius ensis,  
 Qua sonipes, qua belligero fera belua dente.  
 Obrutus hic telis ferri per corpora Piso  
 Rectorem ut vidit Libyæ, connisus in hastam  
 Ilia cornipedis subrecta cuspide transit,  
 Collapsoque super nequidquam incumbere cœptat.  
 Cum Pœnus, propere collecto corpore, quanquam  
 Cernuus inflexo sonipes effuderat armo ;  
 Umbræne Ausoniane rediviva in bella retractant  
 Post obitum dextras ? nec in ipsa morte quiescunt ?  
 Sic ait, atque ægrum cœptanti attollere corpus  
 Arduus insurgens totum permiscuit ensem.

Ecce, Cydonea violatus arundine plantam,  
 Lentulus effusis campum linquebat habenis ;  
 Cum videt in scopulo rorantem saxa cruento,  
 Torvoque obtutu labentem in Tartara Paullum.  
 Mens abiit: puduitque fugæ. Tum visa cremari  
 Roma viro, tunc ad portas jam stare cruentus.  
 Hannibal ; et totum tunc primum ante ora fuere  
 Sorbentes Latium campi. Quid deinde relictum,  
 Crastina cur Tyrios lux non deducat ad Urbem,  
 Deseris in tantis puppim si, Paulle, procellis ?  
 Testor Cœlicolas, inquit, ni damna gubernas  
 Crudelis belli, vivisque in turbine tanto  
 Invitus, plus, Paulle, (dolor verba aspera dictat)  
 Plus Varrone noces. Cape, quæso, hunc, unice rerum  
 Fessarum, cape cornipedem : languentia membra  
 Ipse levabo humeris, et dorso tuta locabo.

Hæc inter, lacero manantem ex ore cruento  
 Ejectans, Consul, Macte o virtute paterna !

Nec vero spes angustæ, cum talia restent  
 Pectora Romuleo regno. Calcaribus aufer,  
 Qua vulnus permittit, equum : atque hinc ocius urbis  
 Claudantur portæ. Ruet hæc ad mœnia pestis.  
 Dic, oro, rerum Fabio tradantur habenæ.  
 Nostris pugnavit monitis furor. Amplius acta  
 Quid superest vita, nisi cæcæ ostendere plebi  
 Paullum scire mori ? Feror an consumtus in urbem  
 Vulneribus ? Quantine emtum velit Hannibal, ut nos  
 Vertentes terga aspiciat ? Nec talia Paullo  
 Pectora, nec manes tam parva intramus imago.  
 Ille ego—sed vano quid enim te demoror æger,  
 Lentule, conquestu ? Perge, atque hinc cuspide fessum  
 Eripe quadrupedem propere. Tum Lentulus Urbem,  
 Magna ferens mandata, petit : nec Paullus inultum,  
 Quod superest de luce, sinit. Ceu vulnere tigris  
 Letifero cedens tandem, projectaque corpus  
 Luctatur morti, et languentem pandit hiatum  
 In vanos morsus, nec sufficientibus iræ  
 Ictibus, extrema lambit venabula lingua.

Jamque coruscanti telum, propiusque ferenti  
 Gressum exultantem, et seculo cædis Iertæ  
 Non exspectatum surgens defixerat ensem,  
 Sidoniumque ducem circumspectabat, in illa.  
 Exoptans animam certantem ponere dextra.  
 Sed vicere virum coeuntibus undique telis  
 Et Nomas, et Garamas, et Celtæ, et Maurus, et Astur.  
 Hic finis Paullo : jacet altum pectus et ingens  
 Dexteræ, quem, soli si bella agitanda darentur,  
 Æquares forsitan Fabio : mors additur urbi  
 Pulchra decus, misitque viri inter sidera nomen.

# VALERIUS FLACCUS.

---

## LIB. I. 22.

Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis,  
Jam gravis et longus populis metus : illius annes,  
Iönium quicumque petunt : ille Othrym et Hæmum,  
Atque unum felix versabat vomere Olympum.  
Sed non ulla quies animo fratrisque paventi  
Progeniem divumque minas : hunc nam fore regi  
Exitio vatesque canunt, pecudumque per aras  
Terrifici monitus iterant : super ipsius ingens  
Instat fama viri, virtusque haud læta tyranno.  
Ergo anteire metus, juvenemque extinguere pergit  
Æsonium ; letique vias ac tempora versat.  
Sed neque bella videt, Graias neque monstra per urbes  
Ulla. Cleonæo jam tempora clusus hiatu  
Alcides : olim Lernæ defensus ab angue  
Arcas ; et ambobus jam cornua fracta juvencis.  
Ira maris, vastique placent discrimina ponti.  
Cum juvenem, tranquilla tuens, nec fronte timendus,  
Occupat ; et fictis dat vultum et pondera verbis :  
Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,  
Adnue ; daque animum. nostri de sanguine Phrixus  
Cretheos ut patrias, audisti, effugerit aras.  
Hunc ferus Æëtes Scythiam Phasinque rigentem  
Qui colit, (heu magni Solis pudor !) hospita vina  
Inter, et attonitæ mactat sollemnia mensæ,  
Nil nostri divumque memor. non nuntia tantum  
Fama refert. ipsum juvenem tam sæva gementem,  
Ipsum ego, cum serus fessos sopor adligat artus,  
Adspicio : meque adsiduis lacera illius umbra  
Questibus, et magni numen maris excitat Helle.  
Si mihi, quæ quondam, vires ; vel pendere poenas  
Colchida jam, et regis caput hinc atque arma videres.  
Olim annis ille ardor hebet : nequid mea proles

Imperio, et belli rebus matura marique.

Tu, cui jam curæque vigent, animique viriles,

I decus: et pecoris Nephelæi vellera Graio

Redde tholo; ac tantis temet dignare periclis.

Talibus hortatur juvenem, propiorque jubenti

Conticuit, certus Scythico concurrere ponto

Cyaneas: tantoque silet possessa dracone

Vellera; multifidas regis quem filia linguas

Vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat,

Et dabat hesterno liventia mella veneno.

Mox taciti patuere doli, nec vellera curæ

Esse viro; sed sese odiis inmania cogi

In freta: qua jussos sic tandem quærere Colchos

Arte queat. nunc aërii plantaria vellet

Perseos, aut currum, ut sævos frenasse dracones

Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras

Imbuit, et flava quercum damnavit arista.

Heu quid agat? populumne levem, veterique tyranno

Infensum, atque olim miserantes Æsona patres

Advocet? an socia Junone et Pallade fretus

Armisona, superet magis, et freta jussa capessat?

Si qua operis tanti domito consurgere ponto

Fama queat. tu sola animos mentemque peruris,

Gloria: te viridein videt immunemque senectæ

Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem.

Tandem animi incertum confusaque pectora firmat

Rellgio: tendensque pias ad sidera palmas,

Omnipotens regina, inquit, quam, turbidus atro

Æthera cœruleum quateret cum Juppiter imbre,

Ipse ego præcipiti tumidum per Enipea nimbo

In campos et tuta tuli: nec credere qui vi

Ante deam, quam te tonitru nutuque ~~reposeci~~

Conjugis, et subita raptam formidine vidi:

Da Scythiam Phasinque mihi: tuque innuba Pallas,

Eripe me. vestris egomet tunc vellera templis

Illa dabo: dabit auratis et cornibus igni

Colla pater, niveique greges altaria cingent.

Accepere deæ, celerique per æthera lapsu

Diversas petiere vias. in moenia pernix

Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum.

*M. Flaccus.*

Robora : Peliacas et jam comes exit in umbras.  
 At Juno Argolicas pariter Macedumque per urbes  
 Spargit, inexpertos tentare parentibus austros  
 Æsoniden : jam stare ratem ; remisque superbam  
 Poscere quos revehat, rebusque in secula tollat.  
 Omnis avet, quæ jam bellis spectataque fama,  
 Turba ducum, primæ seu quos in flore juventæ  
 Tentamenta tenent, neandum data copia rerum.  
 At quibus arvorum studiumque insontis aratri,  
 Hos stimulant, magnaue ratem per lustra viasque  
 Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni,  
 Silvarumque Deæ, atque elatis cornibus Amnes.  
 Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis  
 Advolat ; Arcadio cuius flammata veneno  
 Tela puer, facilesque humeris gaudentibus arcus  
 Gestat Hylas : velit ille quidem ; sed dextera nondum  
 Par oneri, clavæque capax. quos talibus amens  
 Insequitur, solitosque novat Saturnia questus :  
 O utinam Graiae rueret non omne juventæ  
 In nova fata decus : nostrique Eurystheos hæc nunc  
 Jussa forent ! imbrem, et tenebras, sævumque tridentem  
 Jam jam ego, et inviti torsissem conjugis ignem.  
 Hunc quoque nec socium nostræ columenve carinæ  
 Esse velim ; Herculeis nec me umquam fidere fas sit  
 Auxiliis, comiti et tantum debere superbo.  
 Dixit : et Hæmonias oculos detorquet ad undas.  
 Fervere cuncta virum cœtu, simul undique cernit  
 Delatum nemus, et docta resonare bipenni  
 Litora : jam pinus gracili dissolvere lamna  
 Thespiaden ; jungique latus, lentoque sequaces  
 Molliri videt igne trabes ; remisque paratis  
 Pallada velifero quærentem brachia malo.

## LIB. III. 1.

TERTIA jam gelidas Tithonia solverat umbras,  
 Exsueratque polum ; Tiphyn placida alta vocabant.  
 It tectis Argoa manus, simul urbe profusi  
 Ænidæ caris socium digressibus hærent.  
 Dat Cererem, lectumque pecus ; nec palmitæ Bacchum  
 Bithyno Phrygiove satum ; sed quem sua noto

Colle pér angustæ Lesbos freta suggerit Helles.  
 Ipse agit Æsonide junctos ad litora gressus  
 Cyzicus, abscessu lacrimatis ; oneratque superbis  
 Muneribus, primas conjux Percosia vestes  
 Quas dabat, et picto Clite variaverat auro.  
 Tum galeam, et patriæ telum insuperabile dextræ  
 Addidit : ipse ducis pateras et Thessala contra  
 Frena capit : manibusque datis juxere penates.  
 Tu mihi nunc causas infandaque prælia, Clio,  
 Pande virum : tibi enim Superum data, virgo, facultas  
 Nosse animos, rerumque vias ; cur talia passus  
 Arma ; quid hospitiis junctas concurrere dextras  
 Juppiter ; unde tubæ, nocturnaque movit Erinnys.  
 Dindymia sanguineis famulum bacchata lacertis  
 Dum volucri quatit asper equo, silvasque fatigat  
 Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore,  
 Adsuetum Phrygias dominam vectare per urbes,  
 Oppressit jaculo redeuntem ad frena leonem.  
 Et nunc ille jubas captivaque postibus ora  
 Imposuit, spolium infelix, divæque pudendum,  
 Quæ postquam Hæmoniam, tantæ non inmemor iræ,  
 Ærisono de monte ratem, præfixaque regum  
 Scuta videt : nova monstra viro, nova funera volvit ;  
 Ut socias in nocte manus, utque in pia bella  
 Conserat ; et sævis erroribus inplicit urbem.  
 Nox erat, et leni canebant æquora sulco ;  
 Et jam prona leves spargebant sidera somnos.  
 Aura vehit : religant tonsas : veloque Procnesson,  
 Teque etiam medio flaventem, Rhundace, ponto,  
 Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda.  
 Ipse diem longe Solisque cubilia Tiphys  
 Consultit ; ipse ratem vento stellisque ministrat.  
 Atque illum non ante sopor luctamine tanto  
 Lenit agens divum imperiis ; cadit inscia clavo  
 Dexter, demittitque oculos : resolutaque puppis  
 Turbine flectit iter, portuque refertur amico.  
 Ut notis adlabsa vadis, dant æthere longo  
 Signa tubæ : vox et mediis emissa tenebris :  
 Hostis habet portus ; soliti rediere Pelasgi.  
 Rupta quies : deus ancipitem lymphaverat urbem,  
 Mygdoniæ Pan jussa ferens sævissima Matris.

Pan nemorum bellique potens ; quem lucis ad horas  
 Antra tenent : patet ad medias per devia noctes  
 Setigerum latus, et torvæ coma sibila frontis.  
 Vox omnes super una tubas, qua conus et enses,  
 Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris  
 Claustra cadunt ; talesque metus non Martia cassis,  
 Eumenidumque comæ, non tristis ab æthere Gorgon  
 Sparserit, aut tantis aciem raptaverit umbris.  
 Ludus et ille Deo ; pavidum præsepibus aufert  
 Cum pecus, et profugi sternunt dumeta juvenci.  
 Ilicet ad regem clamor ruit. exsilit, altis  
 Somnia dira toris simulacraque pallida linquens,  
 Cyzicus. ecce super foribus Bellona reclusis,  
 Nuda latus, passuque movens orichalcha sonoro,  
 Adstitit, et triplici pulsans fastigia crista,  
 Inde ciere virum. sequitur per mœnia demens  
 Ille Deam, et fatis extrema in proœlia tendit.  
 Qualis in Alciden et Thesea Rhœtus, iniqui  
 Nube meri geminam Pholoën majoraque cernens  
 Antra, ruit : qualisve redit, venatibus actis,  
 Lustra pater Triviamque canens ; humeroque Learchum  
 Advehit : at miseræ declinant lumina Thebæ.  
 Jamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur  
 Excubias sortita manus : quæ prima furenti  
 Advolat ; hinc alii subeunt, ut proxima quæque  
 Intremuit domus, et motus accepit inanes.  
 At Minyas anceps fixit pavor. ægra virorum  
 Corda habant ; nec quæ regio, aut discrimina, cernunt :  
 Cur galeæ clipeique micent : num pervigil armis  
 Hostis, et exciti dent obvia proœlia Colchi.  
 Donec et hasta volans immanni turbine transtris  
 Insonuit, monuitque ratem rapere obvia cæca  
 Arma manu. Princeps galeani constringit Iäson,  
 Vociferans : Primam hanc nati, pater, accipe pugnam ;  
 Vosque, viri, optatos hue adfore credite Colchos.  
 Bistonas in medios ceu Martius exsilit astris  
 Currus ; ubi ingentes animæ, clamorque, tubæque  
 Sanguineæ juvere Deum. non segnius ille  
 Occupat arva furens ; sequitur vis omnis Achivum :  
 Adglomerant latera ; et densis thoracibus horrens  
 Stat manus ; ægisono quam nec fera pectore virgo

Dispulerit, nec dextra Jovis, Terrorque Pavorque  
 Martis equi. sic contextis umbonibus urgent ;  
 Ceruleo veluti cum Juppiter agmine nubem  
 Constituit ; certant Zephyri, frustraque rigentem  
 Pulsat utrinque Notus : pendent mortalia longo  
 Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.  
 Hinc manus infelix, clamore impellere magno  
 Saxa, facesque atras, et tortæ pondera fundæ :  
 Fert sonitus immota phalanx ; irasque retentant,  
 Congeries dum prima fluat. stellantia Mopsus  
 Tegmina, et ingentem Corythi notat Eurytus umbram.  
 Restitit ille gradu ; seseque a lumine ferri  
 Sustinuit præceps : subitum ceu pastor ad amnem,  
 Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem.  
 At Tydeus, en intentis quem viribus, inquit,  
 Opperiar ; manibusque dari quem comminus optem :  
 Quo steteris, moriere loco. subit ilia cuspis  
 Olenii : dedit ille sonum ; compressaque mandens  
 Æquora purpuream singultibus exspuit auram.  
 Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,  
 Quam super ignari nunquam rexere magistri  
 Præcipites impune rates ; sic agmine cæco  
 Incurrit strictis manus ensibus. occubat Iron,  
 Et Cotys, et Pyrno melior genitore Bienor.  
 At magis interea diverso turbida motu  
 Urbs agitur, Genyso conjux amoverat arma :  
 Ast illi subitus ventis vivoque reluxit  
 Torre focus : telis gaudes, miserande, repertis.  
 Linquit et undantes mensas, infectaque pernox  
 Sacra Medon ; chlamys imbelli circumvenit ostro  
 Torta manum : strictoque vias præfulgurat ense.

## STATIUS.

---

### THEBAIDOS LIB. IV. 1.

TERTIUS horrentem Zephyris laxaverat annum  
Phœbus, et angustum cogebat limite verno  
Longius ire diem, cum fracta impulsaque fatis  
Consilia, et tandem miseris data copia belli.  
Prima manu rutilam de vertice Larissæo  
Ostendit Bellona facem, dextraque trabalem  
Hastam intorsit agens ; liquido quæ stridula cœlo  
Fugit, et adversæ celso stetit aggere Dirces.  
Mox et castra subit, ferroque auroque coruscis  
Mixta viris, turmale fremit, dat euntibus enses.  
Plaudit equos, vocat ad portas : hortamina fortis  
Præveniunt, timidisque etiam brevis addita virtus.  
Dicta dies aderat, cadit ingens rite Tonanti  
Gradivoque pecus, nullisque secundus in extis  
Pallet, et armatis simulat sperare sacerdos.  
Jamque suos circum pueri, innuptæque, patresque  
Funduntur mixti, summisque a postibus obstant.  
Nec modus est lachrymis : rorant clipeique, jubæque  
Triste salutantum, et cunctis dependet ab armis  
Suspiranda domus, galeis juvat oscula clausis  
Inserere, amplexuque truces deducere conos.  
Illi, quîs ferrum modo, quîs mors ipsa placebat,  
Dant gemitus, fractæque labant singultibus iræ :  
Sic ubi forte viris longum super æquor ituris  
Cum jam ad vela Noti, et scisso redit anchora fundo  
Hæret amica manus, certant innectere collo  
Brachia, manantesque oculos ; hinc oscula turbant,  
Hinc magni caligo maris, tandemque relicti  
Stant in rupe tamen, fugientia carbasa visu

Dulce sequi, patriosque dolent crebrescere ventos ;  
 Stant tamen, et notam puppem de rupe salutant.  
 Nunc mihi fama prior, mundique arcana vetustas  
 Cui meminisse ducum, vitasque extendere curæ,  
 Pande viros : tuque, o nemoris regina sonori  
 Calliope, quas ille manus, quæ moverit arma  
 Gradivus, quantas populis spoliaverit urbes,  
 Sublata molire lyra : nec enim altior ulli  
 Mens hausto de fonte venit. Rex tristis, et æger  
 Pondere curarum, propiorque abeuntibus annis,  
 Inter adhortantes vix sponte incedit Adrastus  
 Contentus ferro cingi latus. arma manipli  
 Pone ferunt volucres ; portis auriga sub ipsis  
 Comit equos, et jam inde jugo luctatur Arion.  
 Huic armat Larissa viros. huic celsa Prosymne  
 Aptior armentis Midea, pecorosaque Phyllos,  
 Quæque pavet longa spumantem valle Charadron  
 Neris, et ingenti turritæ mole Cleonæ,  
 Et Lacedæmonium Thyre lectura cruem.  
 Junguntur memores transmissi ab origine reges,  
 Qui Drepani scopulos, et oliviferæ Sicyonis  
 Culta serunt, quos pigra vado Langia tacenti  
 Lambit, et amfractu riparum incurvus Elissos.  
 Sævus hónos fluvio, Stygias lustrare severis  
 Eumenidas perhibetur aquis. hue mergere suetæ  
 Ora, et anhelantes tuto Phlegethonte cerastas.  
 Seu Thracum vertere domos, seu tecta Mycenis  
 Impia, Cadmeuniq[ue] larem. fugit ipse natantes  
 Amnis, et innumeris livescunt stagna venenis.  
 It comes Inoas Ephyre solata querelas,  
 Cenchrææque manus ; vatum qua conscius amnis  
 Gorgoneo percussus equo ; quaque objacet alto  
 Isthmos, et a terris maria inclinata repellit.  
 Hæc manus Adrastum numero ter mille secuti  
 Exsultant ; pars gesa manu, pars robora fiammis  
 Indurata diu (non unus namque maniplis  
 Mos, neque sanguis inest) teretes pars vertere fundas  
 Assueti, vacuoque diem præcingere gyro.  
 Ipse annis sceptrisque subit venerabilis, æque  
 Ut possessa diu taurus meat arduus inter  
 Pascua, jam lassa cervice, et inanibus armis,

Dux tamen. haud illum bello attentare juvencis  
 Sunt animi ; nam trunca vident de vulnere multo  
 Cornua, et ingentes plagarum in pectore nodos.  
 Proxima longævo profert Diræus Adrasto  
 Signa gener, cui bella favent, cui commodat iras  
 Cuncta cohors. huic et patria de sede volentes  
 Advenere viri. seu quos movet exsul, et hæsit  
 Tristibus aucta fides, seu quis mutare potentes  
 Præcipuum. multi melior quos causa querenti  
 Conciliat. Dederat necnon socer ipse regendas  
 Ægion, Aranenque, et quas Thesëia Trœzen  
 Addit opes, ne rara movens inglorius iret  
 Agmina, neu raptos patriæ sentiret honores.  
 Idem habitus, eadem arma viro, quæ debitus hospes  
 Hyberna sub nocte tulit. Theumesius implet  
 Terga leo, et gemino lucent hastilia ferro.  
 Aspera vulnifico subter latus ense riget Sphynx.  
 Jam regnum, matrisque sinus, fidisque sorores  
 Spe, votisque tenet. tamen et de turre suprema  
 Attonitam, totoque exstantem corpore longe  
 Respicit Argian. hæc mentem, oculosque reducit  
 Conjugis, et dulces avertit pectore Thebas.  
 Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis  
 Fulmineus Tydeus. jam lætus, et integer artus,  
 Ut primum strepuere tubæ : ceu lubricus alta  
 Anguis humo verni blanda ad spiramina solis  
 Erigitur liber senio, et squallentibus annis  
 Exutus, lætisque minax interviret herbis.  
 Ah miser agrestum siquis per gramen hianti  
 Obvius, et primo siccaverit ora veneno.  
 Huic quoque præstantes Ætolis urbibus affert  
 Belli fama viros. sensit scopulosa Phylene  
 Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron,  
 Et præceps Calydon, et quæ Jove provocat Iden  
 Olenos, Ioniis et fluctibus hospita portu  
 Chalcis, et Herculea turpatus gymnade vultus  
 Amnis : adhuc imis vix truncam attollere frontem  
 Ausus aquis, glaucoque caput submersus in antro  
 Mœret, anhelantes ægredunt pulvere ripæ.  
 Omnibus æratæ propugnant pectora crates,  
 Pilaque sæva manu, patrius stat casside Mavors.

Undique magnanimum pubes delecta coronant  
 Ceniden hilarem bello, notisque decorunt  
 Vulneribus. non ille minis Polynicis, et ira  
 Inferior, dubiumque adeo cui bella gerantur.  
 Major at inde novis it Doricus ordo sub armis,  
 Qui ripas, Lyncae, tuas, tua littora multo  
 Vomere suspendunt, fluviorum ductor Achivum,  
 Inache. Persea neque enim violentior exit  
 Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hausit aquosas  
 Spumeus, et genero tumuit Jove. quos celer ambit  
 Asterion, Dryopumque trahens Erasinus aristas.  
 Et qui rura domant Epidauria. dexter Iaccho  
 Collis, at Aetnææ Cereri negat avia Dyme  
 Mittit opeim, densasque Pylos Nelëia turmas,  
 Nondum nota Pylos, juvenisque ætate secunda  
 Nestor, et ire tamen peritura in castra negavit.  
 Hos agitat, pulchritæque docet virtutis amorem  
 Arduus Hippomedon. capiti tremit ærea cassis,  
 Ter niveum candente juba ; latus omne sub armis,  
 Ferrea sua terunt humeros, et pectora late  
 Flammeus orbis habet, perfectaque vivit in auro  
 Nox Danai ; sonentes, furiarum lampade nigra,  
 Quinquaginta ardent thalami ; pater ipse cruentis  
 In foribus laudatque nefas, atque inspicit enses.  
 Illum Palladia sonipes Nemeæus ab arce  
 Devehit arma pavens, umbraque immane volanti  
 Implet agros, longoque attollit pulvere campum.  
 Non aliter sylvas humeris, et utroque refringens  
 Pectore, montano duplex Hyleus ab antro  
 Præcipitat, pavet Ossa vias, pecudesque feræque  
 Procubuere metu. non ipsis fratribus horror  
 Abfuit, ingenti donec Penëia saltu  
 Stagna subit, magnumque objectus detinet annem.  
 Quis numerum ferri, gentesque, et robora, dicto  
 Aequarit mortale sonans ? suus excit in arma  
 Antiquam Tirynthia Deus. non fortibus illa  
 Infecunda viris, famaque immanis alumni  
 Degenerat. sed lapsa situ fortuna, neque addunt  
 Robur opes : rarus vacuis habitator in arvis  
 Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.  
 Dat tamen hæc juvenum tercentum pectora, vulgus

Innumerum bello, quibus haud amenta, nec enses  
 Triste micant. flavent capiti tergoque leonum  
 Exuviae, gentilis honos, et pineus armat  
 Stipes, inexhaustis arctantur tela pharetris.  
 Herculeum Pæana canunt, vastataque monstris  
 Omnia : frondosa longum Deus audit ad ΟEta.  
 Dat Nemee comites, et quas in prælia vires  
 Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi.  
 Gloria nota casæ, foribus simulata salignis  
 Hospitis arma Dei, parvoque ostenditur auro,  
 Robur ubi, et laxos qua reclinaverit artus  
 Ilice ; qua cubiti sedeant vestigia terra.  
 At pedes, et toto despectans vertice bellum  
 Quatuor indomitis Capaneus erepta juvencis  
 Terga, superque rigens injectu molis ahenæ  
 Versat onus, squallet triplici ramosa corona  
 Hydra recens obitu. pars anguibus aspera vivis  
 Argento cælata micat, pars arte reperta  
 Conditur, et fulvo moriens ignescit in auro.  
 Circum amnis torpens, et ferro cœrula Lerne.  
 At laterum tractus, spatioaque pectora servat  
 Nexilis in numero chalybum subtemine thorax,  
 Horrendum, non matris opus ; galeæque corusca  
 Prominet arce gigas : atque uni missilis illi  
 Cuspide præfixa stat frondibus orba cupressus.  
 Huic parere dati, quos fertilis Amphigenia,  
 Planaque Messene, montanaque nutrit Ithome,  
 Quos Thrion, et summis ingestum montibus Æpy,  
 Quos Helos, et Pteleon, Getico quos flebile vati  
 Dorion. hic fretus doctas anteire canendo  
 Aonidas, multos Thamyris damnatus in annos  
 Ore simul, citharaque, (quis obvia numina temnat?)  
 Conticuit præceps, qui non certamina Phœbi  
 Nosset, et illustres Satyro pendente Celænas.  
 Jamque et fatidici mens expugnata fatiscit  
 Auguris. ille quidem casus, et dira videbat  
 Signa, sed ipsa manu cunctanti injecerat arma  
 Atropos, obrueratque Deum nec conjugis absunt  
 Insidiæ, vetitoque domus jam fulgurat auro.  
 Hoc aurum vati fata exitiale monebant  
 Argolico. scit et ipse nefas, sed perfida conjux

Dona viro mutare velit, spoliisque potentis  
 Imminet Argiae, raptoque excellere cultu.  
 Illa libens (nam regnum animos, et pondera belli  
 Hac nutare videt, pariter ni providus heros  
 Militet) ipsa sacros gremio Polynicis amati  
 Deposuit nexus haud moesta, atque insuper addit.  
 Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit,  
 Tempora, nec miseræ placeant insignia formæ  
 Te sine. sat dubium cœtu solante timorem  
 Fallere, et incultos aris advertere crines.  
 Scilicet (heu superi) cum tu claudere minaci  
 Casside, ferratusque sones, ego divitis aurum  
 Harmoniæ dotale geram ? dabit aptior ista  
 Fors Deus, Argolicasque habitu præstabo maritas,  
 Cum regis conjux, cum, te mihi sospite, templa  
 Votivis implenda choris. nunc induat illa,  
 Quæ petit, et bellante potest gaudere marito.  
 Sic Eriphylæos aurum fatale penates  
 Irrupit, scelerumque ingentia semina movit,  
 Et grave Tisiphone risit gavisa futuris.  
 Tænariis hic celsus equis, quam dispare cœtu  
 Cyllarus ignaro generarat Castore prolem,  
 Quassat humum. vatem cultu Parnasia monstrant  
 Vellera, frondenti crinitur cassis oliva,  
 Albaque puniceas interplicat infula cristas.  
 Arma simul, prensasque jugo moderatur habenas.  
 Hinc atque inde moræ jaculis, et ferrea curru  
 Sylva tremit. procul ipse gravi metuendus in hasta  
 Eminet, et clypeo victum Pythona coruscat.  
 Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ,  
 Quos Pylos, et dubiis Malea vitata carinis,  
 Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ.  
 Quos Pharis, volucrumque parens Cytherëia Messe,  
 Taygetique phalanx, et oloriferi Eurotæ  
 Dura manus. Deus ipse viros in pulvere crudo  
 Arcas alit, nudeque modos virtutis, et iras  
 Ingenerat. vigor inde animis, et mortis honoræ  
 Dulce sacrum : gaudent natorum fata parentes,  
 Hortanturque mori. deflet jamque omnis ephebum  
 Turba, coronato contenta est funere mater.  
 Frena tenent, duplexque inserto missile nodo,

Exserti ingentes humeros : chlamys horrida pendet,  
 Et cono Ledæus apex. non hi tibi solum  
 Amphiaraë merent. auget resupina maniplos  
 Elis. depressæ populus subit incola Pisæ,  
 Qui te, flave, nabant terris, Alphee, Sicanis,  
 Advena, tam longo non unquam infecte profundo.  
 Curribus innumeris late putria arva laccessunt,  
 Et bellis armenta domant. ea gloria genti,  
 Infando de more, et fractis durat ab usque  
 Axibus Cœnomai. strident spumantia morsu  
 Vincula, et effossas niveus rigat imber arenas.  
 Tu quoque Parrhasias ignara matre catervas  
 Ah ! fudis annorum (tantum nova gloria suadet)  
 Parthenopæe, rapis. tum saltus forte remotos  
 Torva parens (neque enim hæc juveni foret ire potestas)  
 Pacabat cornu, gelidique aversa Lyeei.  
 Pulchrior haud ulli triste ad discriminem ituro  
 Vultus, et egregiæ tanta indulgentia formæ.  
 Nec desunt animi, veniat modo fortior ætas.  
 Quos non ille duces nemorum fluviisque dicata  
 Numinæ, quas magno non impulit igne Napæas ?  
 Ipsam, Mænalia puerum cum vidi in umbra,  
 Dianam, tenero signantem gramina passu,  
 Ignovisse ferunt comiti, Dictæaque tela  
 Ipsam, et Amyclæas humeris aptasse pharetras.  
 Prosilit audaci Martis percussus amore :  
 Arma, tubas, audire calens, et pulvere belli  
 Flaventem sordere comam, captoque referri  
 Hostis equo. taedet nemorum, tituluinque nocentem  
 Sanguinis humani pudor est nescire sagittas.  
 Igneus ante omnes auro micat, igneus ostro,  
 Undantemque sinum nodis irrugat Hiberis,  
 Imbelli parma pictus Calydonia matris  
 Prælia. trux læva sonat arcus, et aspera plumis  
 Terga, Cydonæa corythos arundine pulsat,  
 Electro pallens, et iaspide clarus Eoa.  
 Cornipedem trepidos suetum prævertere cervos  
 Velatum geminæ dejectu lyncis, et arma  
 Mirantem gravioris heri sublimis agebat,  
 Dulce rubens, viridique genas spectabilis ævo.  
 Arcades huic veteres astris lunaque priores,

Agmina fida datis. nemorum vos stirpe rigenti  
 Fama satos, cum prima pedum vestigia tellus  
 Admirata tulit. nondum arva, domusque, nec urbes,  
 Connubiisque modus. Quercus, laurique ferebant  
 Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit  
 Fraxinus, et foeta viridis puer excidit orno.  
 Hi lucis stupuisse vices, noctisque feruntur  
 Nubila, et occiduum longe Titana secuti  
 Desperasse diem. rarescunt alta colonis  
 Mænala. Parthenium fugitur nemus, agmina bello  
 Rhipeque, et Stratie, ventosaque donat Enispe.  
 Non Tegee, non ipsa Deo vacat alite felix  
 Cyllene, templumque Aleæ nemorale Minervæ,  
 Et rapidus Cliton, et qui tibi, Pythie, Ladon  
 Pene sacer, candensque jugis Lampia nivosis,  
 Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti.  
 Venit et Idæis ululatibus æmulus Azan,  
 Parrhasiisque duces, et quæ resistis, Amores,  
 Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti,  
 Dives et Orchomenos pecorum, et Cynosura ferarum.  
 Æphitios idem ardor agros, et Psophida celsam  
 Vastat, et Herculeo vulgatos robore montes,  
 Monstriferumque Erymanthon, et ærisonum Stymphalon.  
 Arcades hi, gens una viris, sed dissona cultu  
 Scinditur, hi Paphias myrtos a stirpe recurvant,  
 Et pastorali meditantur prælia truncō.  
 His arcus, his tela sudes: hic casside crines  
 Integit, Arcadii morem tenet ille galeri:  
 Ille Lycaoniæ rictu caput asperat ursæ.  
 Hos belli cœtus, jurataque pectora Marti,  
 Milite vicinæ nullo juvere Mycenæ.  
 Funereæ tum namque dapes, mediisque recursus  
 Solis, et hic alii miscebant prælia fratres.

## SYLVARUM LIB. II. 2.

## SURRENTINUM POLLII.

Est inter notos Sirenum nomine muros,  
 Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,  
 Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,

Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos  
 Uritur, et prælis non invidet uva Falernis.  
 Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,  
 Cum stadio jam pigra quies, canusque sederet  
 Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,  
 Trans gentile fretum placidi facundia Polli  
 Detulit, et nitidæ juvenilis gratia Pollæ,  
 Flectere jam cupidum gressus, qua limite noto  
 Appia longarum teritur regina viarum.  
 Sed juvere moræ. Placido lunata recessu  
 Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes:  
 Dat natura locum, montique intervenit unum  
 Litus, et in terras, scopolis pendentibus, exit.  
 Gratia prima loci, gemina testudine fumant  
 Balnea, et è terris occurrit dulcis amaro  
 Nympha mari. levis hic Phorci chorus, udaque crines  
 Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.  
 Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ  
 Excubat, innocui custos laris: hujus amico  
 Spumant templa salo: felicia rura tuetur  
 Alcides: gaudet gemino sub numine portus.  
 Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat.  
 Mira quies pelagi: ponunt hic lassa furorem  
 Æquora, et insani spirant clementius Austri.  
 Hic præceps minus audet hyems, nulloque tumultu  
 Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores.  
 Inde per obliquas erepit porticus arces,  
 Urbis opus; longoque domat saxa aspera dorso.  
 Qua prius obscuro permixti pulvere soles,  
 Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas:  
 Qualis, si subeas Ephyres Bacchëidos altum  
 Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo.  
 Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,  
 Et superet Pimplea sitim, largeque volantis  
 Ungula se det equi, reseretque arcana pudicos  
 Phæmonoë fontes, vel quos meus, auspice Phœbo,  
 Altius immersa turbavit Pollius urna,  
 Innumeræ valeam species, cultusque locorum  
 Pieris æquare modis. vix ordine longo  
 Suffecere oculi; vix, dum per singula ducor,  
 Suffecere gradus. quæ rerum turba! locine

Ingenium, an domini mirer prius? haec domus ortus  
 Prospicit, et Phœbi tenerum jubar; illa cadentem  
 Detinet, exactamque negat dimittere lucem,  
 Cum jam fessa dies, et in æquora montis opaci  
 Umbra cadit, vitroque natant prætoria ponto.  
 Hæc pelagi clamore freinunt; hæc tecta sonoros  
 Ignorant fluctus, terræque silentia malunt.  
 His favit Natura locis: hic victa colenti  
 Cessit, et ignotos docilis mansuevit in usus.  
 Mons erat hic, ubi plana vides: hæc lustra fuerunt,  
 Quæ nunc tecta subis. ubi nunc nemora ardua cernis,  
 Hic nec terra fuit. domuit possessor, et illum  
 Formantem rupes, expugnantemque secuta  
 Gaudet humus. nunc cerne jugum dissentia saxa,  
 Intrantesque domos, jussumque recedere montem.  
 Jam Methymnæi vatis manus, et chelys una  
 Thebais, et Getici cedat tibi gloria plectri.  
 Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur.  
 Quid referam veteres ceræque ærisque figuræ?  
 Si quid Apellei gaudent animasse colores;  
 Si quid adhuc vacua, tamen admirabile, Pisa  
 Phidiacæ rasere manus: quod ab arte Myronis,  
 Aut Polycleteo jussum est quod vivere cœlo,  
 Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis;  
 Ora ducum, et vatim, sapientumque ora priorum,  
 Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis  
 Expers turbarum, atque animum virtute quieta  
 Compositus, semperque tuus. Quid mille revolvam  
 Culmina, visendique vices? sua cuique voluptas,  
 Atque omni proprium thalamo mare, transque jacentem  
 Nerea, diversis servit sua terra fenestris.  
 Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret:  
 Armiger hinc magni patet Hectoris: inde malignum  
 Aëra respirat pelago circumflua Nesis,  
 Inde vagis omen felix Euplea carinis,  
 Quæque ferit curvos exserta Megalia fluctus.  
 Angitur et domino contra recubante, procul qui  
 Surrentina tuus spectat prætoria Limon.  
 Ante tamen cunctas procul eminent una diætas,  
 Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti  
 Ingerit. hic Graiis penitus desecta metallis

Saxa : quod Eoæ respergit vena Syenes ;  
 Synnade quod mœsta Phrygiæ fodere secures  
 Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto  
 Candida purpureo distinguitur area gyro.  
 Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi  
 Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.  
 Hic Nomadum lucent flarentia saxa, Thasosque,  
 Et Chios, et gaudens fluctu certare Carystos.  
 Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.  
 Macte animo quod Graia probas, quod Graia frequentas  
 Arva, nec invideant quæ te genuere Dicarchi  
 Mœnia : nos docto melius potiemur alumno.  
 Quid nunc ruris opes, pontoque novalia dicam  
 Injecta, et madidas Baccheo nectare rupes ?  
 Sæpe per autumnum, jam pubescente Lyæo,  
 Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbra  
 Palmite maturo rorantia lumina tersit  
 Nerëis, et dulces rapuit de collibus uvas.  
 Sæpe et vicino sparsa est vindemia fluctu,  
 Et Satyri cecidere vadis, nudamque per undas  
 Dorida montani cupierunt prendere Panes.  
 Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos  
 Mygdonii, Pyliique senis ; nec nobile mutes  
 Servitium ; nec te cultu Tirynthia vincat  
 Aula, Dicarcheique sinus : nec sæpius istis  
 Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.  
 Hic seu sidereas exercet Pollius artes,  
 Seu volvit monitus, quos dat Gargeticus auctor,  
 Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit  
 Carmina, sive minax ultorem stringit Iambon :  
 Huc levis e scopulis meliora ad carmina Siren  
 Advolat, et motis audit Tritonia cristis.  
 Tunc rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur  
 Obstrepere : emergunt pelago, doctamque trahuntur  
 Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant.  
 Vive Midæ gazis, et Lydo ditior auro,  
 Troïca, et Euphrataea super diademata felix :  
 Quem non ambigi fasces, non mobile vulgus,  
 Non leges, non castra tenent ; qui pectore magno  
 Spemque metumque domas, vitio sublimior omni,  
 Exemptus fatis, indignantenuque refellens

Fortunam ; dubium quem non in turbine rerum  
 Deprendet suprema dies ; sed abire paratum,  
 Ac plenum vita. Nos, vilis turba, caducis  
 Deservire bonis, semperque optare parati,  
 Spargimur in casus : celsa tu mentis ab arce  
 Despicis errantes, humanaque gaudia rides.  
 Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ  
 Diriperent, celsusque duas veherere per urbes :  
 Inde Dicarcheis multum venerande colonis,  
 Hinc ascite meis ; pariterque his largus, et illis,  
 Ac juvenile calens, plectrique errore superbus.  
 At nunc discussa rerum caligine, verum  
 Aspicis. illo alii rursus jactantur in alto ;  
 At tua securos portus, blandamque quietem  
 Intravit non quassa ratis. sic perge ; nec unquam  
 Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.  
 Vivite securi, quorum de pectore mixtæ  
 In longum cōiere faces, sanctusque pudicæ  
 Servat amicitiæ leges amor. ite per annos  
 Seculaque et prisæ titulos præcedite famæ.  
 Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cuius  
 Non frontem vertere minæ, sed candida semper  
 Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas.  
 Non tibi sepositas infelix strangulat arca  
 Divitias, avidive animum stipendia torquent  
 Fœnoris ; expositi census, et docta fruendi  
 Temperies. non ulla Deo meliore cohærent  
 Pectora, non alias decuit concordia mentes.

## LIB. II. 4.

## PSITTACUS ATEDII MELIORIS.

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas,  
 Humanæ solers imitator, Psittace, linguae ;  
 Quis tua tam subito præclusit murmura fato ?  
 Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti  
 Nobiscum, et gratæ carpentem munera mensæ,  
 Errantemque toris mediae plus tempore noctis  
 Vidimus, affatus etiam meditataque verba  
 Reddideras. at nunc æterna silentia Lethes  
 Ille canorus habes. cedat Phaëthontia vulgi

Fabula, nec soli celebrant sua funera cycni.  
 At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,  
 Connexusque ebori virgarum argenteus ordo,  
 Argutumque tuo stridentia limina cornu?  
 En querulæ jam sponte fores! vacat ille beatus  
 Carcer, et angusti nusquam convicia tecti.  
 Huc doctæ stipentur aves, quis nobile fandi  
 Jus natura dedit. plangat Phœbëius ales,  
 Auditæque memor penitus dimittere voces  
 Sturnus, et Aonio versæ certamine picæ:  
 Quique refert jungens iterata vocabula perdix,  
 Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili,  
 Ferte simul gemitus, cognataque ducite flammis  
 Funera, et hoc cunctæ miserandum addiscite carmen.  
 Occidit aëriæ celeberrima gloria gentis  
 Psittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ;  
 Quem non gemmata volueris Junonia cauda  
 Vinceret, aspectu gelidi non Phasidis ales,  
 Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro.  
 Ille salutator regum, nomenque locutus  
 Cæsareum, et queruli quondam vice functus amici:  
 Nunc conviva levis, monstrataque reddere verba  
 Tam facilis: quo tu, Melior dilecte, recluso  
 Nunquam solus eras. at non inglorius umbris  
 Mittitur; Assyrio cineresadolentur amomo,  
 Et tenues Arabum respirant gramina plumæ,  
 Sicaniosque crocos. senio nec fessus inertis  
 Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

## LIB. II. 7.

## GENETHLIA CON LUCANI.

LUCANI proprium diem frequentet,  
 Quisquis collibus Isthmiæ Diones  
 Docto pectora concitatus œstro,  
 Pendentis bibt ungulæ liquorem.  
 Ipsi, quos penes est honor canendi,  
 Vocalis citharæ repertor Arcas,  
 Et tu Bassaridum rotator Evan,  
 Et Pæan, et Hyantiæ sorores,  
 Lætæ purpureas novate vittas.

Crinem comite, candidamque vestem  
 Perfundant bederæ recentiores.  
 Docti largius evagentur amnes,  
 Et plus Aoniæ virete sylvæ.  
 Et, si qua patulam diem recepit,  
 Sertis mollibus expleatur umbra.  
 Centum Thespiacis odora lucis  
 Stent altaria, victimæque centum,  
 Quas Dirce lavat, aut alit Cithærov.  
 Lucanum canimus ; favete linguis :  
 Vestra est ista dies ; favete, Musæ ;  
 Dum, qui vos geminas tulit per artes  
 Et vincæ pede vocis, et solutæ,  
 Romani colitur chori sacerdos.  
 Felix, heu ! nimis, et beata tellus,  
 Quæ pronos Hyperionis meatus  
 Summis Oceani vides in undis,  
 Stridoremque rotæ cadentis audis ;  
 Quæ Tritonide fertiles Athenas  
 Unctis, Bœtica, provocas trapetis.  
 Lucanum potes imputare terris ;  
 Hoc plus quam Senecam deditse mundo,  
 Aut dulcem generasse Gallionem.  
 Attollat refluos in astra fontes  
 Graio nobilior Melete Bætis.  
 Bætin, Mantua, provocare noli !  
 Natum protinus, atque humum per ipsam  
 Primo murmure dulce vagientem  
 Blando Calliope sinu recepit.  
 Tum primum posito remissa luctu  
 Longos Orpheos exuit dolores :  
 Et dixit : puer o dicate Musis,  
 Longævos cito transiture vates,  
 Non tu flumina, nec greges ferarum,  
 Nec plectro Geticas movebis ornos :  
 Sed septem juga, Martiumque Tybrim,  
 Et doctos Equites, et eloquente  
 Cantu purpureum trahes Senatum.  
 Nocturnas alii Phrygum ruinas  
 Et tarde reducis vias Ulyssei  
 Et puppem temerariam Minervæ,

Trita vatibus orbita, sequantur :  
 Tu, carus Latio, memorque gentis,  
 Carmen fortior exseres togatum,  
 Ac primum, teneris adhuc in annis  
 Ludes Hectora, Thessalosque currus.  
 Et supplex Priami potentis aurum.  
 Tu sedes reserabis Inferorum.  
 Dices culminibus Remi vagantes,  
 Infandos domini nocentis ignes.  
 Tu castæ titulum decusque Pollæ  
 Jucunda dabis Allocutione.  
 Mox, cœpta generosior juventa,  
 Albos ossibus Italis Philippos,  
 Et Pharsalica bella detonabis,  
 Et fulmen ducis inter arma Divi :  
 Libertate gravem pia Catonem,  
 Et gratum popularitate Magnum.  
 Tu Pelusiaci scelus Canopi  
 Deflebis pius, et Pharo cruenta  
 Pompeio dabis altius sepulchrum.  
 Hæc primo juvenis canes sub ævo  
 Ante annos Culicis Maronianæ.  
 Cedet Musa rudis ferocis Enni,  
 Et docti furor arduus Lucreti,  
 Et qui per freta ducit Argonautas,  
 Et qui corpora prima transfigurat.  
 Quin majus loquor : ipsa te Latinis  
 Aenæis venerabitur canentem.  
 Nec solum dabo carminis nitorem,  
 Sed tædis genialibus dicabo  
 Doctam, atque ingenio suo decoram ;  
 Qualem blanda Venus, daretque Juno,  
 Forma, simplicitate, comitate,  
 Censu, sanguine, gratia, decore :  
 Et vestros Hymenæon ante postes  
 Faustis cantibus ipsa personabo.  
 O sævæ nimium gravesque Parcae !  
 O nunquam data festa longa summis !  
 Cur plus, ardua, casibus patetis ?  
 Cur læva vice magna non senescunt ?

Sic natum Nasamonii Tonantis,  
 Post ortus, obitusque fulminatos,  
 Angusto Babylon premit sepulchro.  
 Sic fixum Paridis manu trementi  
 Peliden Thetis horruit cadentem.  
 Sic ripis ego murmurantis Hebri  
 Non mutum caput Orpheos sequebar.  
 Sic et tu (rabidi nefas tyranni !)  
 Jussus præcipitem subire Lethen,  
 Dum pugnas canis, arduaque voce  
 Das solatia grandibus sepulchris,  
 (O dirum scelus, O scelus !) tacebis.  
 Sic fata est, leviterque decidentes  
 Abrasit lacrymas nitente plectro.  
 At tu, seu rapidum poli per axem  
 Famæ curribus arduis levatus,  
 Qua surgunt animæ potentiores  
 Terras despicis, et sepulchra rides,  
 Seu pacis merito nemus reclusum  
 Felix Elysiis tenes in oris,  
 Quo Pharsalica turba congregatur ;  
 Et te nobile carmen insonantem  
 Pompeii comitantur, et Catones ;  
 Seu magna sacer et superbus umbra  
 Nescis Tartaron, et procul nocentum  
 Audis verbera, pallidumque visa  
 Matris lampade respicis Neronem,  
 Adsis lucidus ; et, vocante Polla,  
 Unum, quæso, diem Deos silentum  
 Exores : solet hoc patere limen  
 Ad nuptas redeuntibus maritis.  
 Hæc te non thiasis proeaux dolosis  
 Falsi numinis induit figuræ ;  
 Ipsum sed colit, et frequentat ipsum  
 Imis altius insitum medullis :  
 Ac solatia vana subministrat  
 Vultus, qui simili notatus auro,  
 Stratis prænitet, excubatque somno  
 Securæ. Procul hinc abite mortes ;  
 Hæc vitæ genitalis est origo :

Cedat luctus atrox, genisque manent  
 Jam dulces lacrymæ ; dolorque festus  
 Quidquid fleverat ante, nunc adoret.

## LIB. V. 4.

## AD SOMNUM.

CRIMINE quo merui juvenis, placidissime Divum,  
 Quove errore miser, donis ut solus egerem,  
 Somne, tuis ? tacet omne pecus, volucresque feraeque  
 Et simulant fessos curvata cacumina somnos.  
 Nec trucibus flaviis idem sonus : occidit horror  
 Æquoris, et terris maria acclinata quiescunt.  
 Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras  
 Stare genas ; totidem Cœtææ Paphiæque recursant  
 Lampades, et toties nostros Tithonia questus  
 Præterit, et gelido tangit miserata flagello.  
 Unde ego sufficiam ? Non si mihi lumina mille,  
 Quæ sacer alterna tantum statione tenebat  
 Argus, et haud unquam vigilabat corpore toto.  
 Et nunc fors aliquis longa sub nocte puellæ  
 Brachia nexa tenens, ultiro te, Somne, repellit.  
 Inde veni, nec te totas infundere pennas  
 Luminibus compello meis. hoc turba precetur  
 Lætior ; extremo me tange cacumine virgæ :  
 (Sufficit), aut leviter suspenso poplite transi.

## MARTIALIS.

---

### DE SPECTACULIS.

BARBARA Pyramidum sileat miracula Memphis;  
Assiduus jactet nec Babylona labor;  
Nec Triviae templo molles laudentur honores;  
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.  
Aëre nec vacuo pendentia Mausolea  
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.  
Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:  
Unum pro cunctis fama loquatur opus.—*Ep. i.*

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus,  
Et crescunt media pegmata celsa via;  
Invidiosa feri radiabant atria regis,  
Unaque jam tota stabat in urbe domus.  
Hie, ubi conspicui venerabilis amphitheatri  
Erigitur moles, stagna Neronis erant.  
Hic, ubi miramur velocia munera thermas,  
Abstulerat miseris tecta superbus ager.  
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,  
Ultima pars aulæ deficientis erat.  
Reddita Roma sibi est, et sunt, te præside, Cæsar;  
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.—*Ep. ii.*

Lambere securi dextram consueta magistri,  
Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo,  
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:  
Res nova, non ullis cognita temporibus.  
Ausa est tale nihil, silvis dum vixit in altis:  
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.—*Ep. xviii.*

Quod nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,  
Desine mirari: Cæsaris unda fuit.

Cum peteret dulces audax Leandrus amores,  
 Et fessus tumidis jam premeretur aquis ;  
 Sic miser instantes affatus dicitur undas :  
 Parcite, dum propero ; mergite, dum redeo.—*Ep. xxv.*

## EPIGRAMMATUM LIB. I.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,  
 Canaque sulphureis Albula fumat aquis ;  
 Rura, nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis  
 Signat vicina quartus ab urbe lapis.  
 His rudis æstivas præstabat porticus umbras,  
 Heu quam pæne novum porticus ausa nefas !  
 Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa  
 Gestatus bijugis Regulus esset equis.  
 Nimirum timuit nostras Fortuna querelas,  
 Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.  
 Nunc et damna juvant : sunt ipsa pericula tanti : \*  
 Stantia non poterant tecta probare Deos.—*Ep. xiii.*

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,  
 Quæ legis hic : aliter non fit, Avite, liber.—*Ep. xvii.*

Cum peteret regem decepta satellite dextra,  
 Ingessit sacris se peritura focis.  
 Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,  
 Et raptum flammis jussit abire virum.  
 Ureñe quam potuit contemto Mucius igne,  
 Hanc spectare manum Porsena non potuit.  
 Major deceptæ fama est et gloria dextræ :  
 Si non errasset, fecerat illa minus.—*Ep. xxii.*

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare ;  
 Hoc tantum possum dicere, non amo te.—*Ep. xxxiii.*

Conjugis audisset fatum cum Porcia Bruti,  
 Et subtracta sibi quæreret arma dolor :  
 Nondum scitis, ait, mortem non posse negari ?  
 Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.  
 Dixit, et ardentes avido babit ore favillas.  
 I nunc, et ferrum, turba molesta, nega.—*Ep. xlvi.*

Verona docti syllabas amat vatis :  
 Marone felix Mantua est :  
 Censetur Apona Livio suo tellus,  
 Stellaque nec Flacco minus.  
 Apollodoro plaudit imbrifer Nilus ;  
 Nasone Peligni sonant.  
 Duosque Senecas, unicumque Lucanum  
 Facunda loquitur Corduba.  
 Gaudent jocosæ Canio suo Gades ;  
 Emerita Deciano meo.  
 Te, Liciniane, gloriabitur nostra,  
 Nec me tacebit Bilbilis.—*Ep. lxii.*

## LIB. II.

Declamas belle ; causas agis, Attale, belle.  
 Historias bellas, carmina bella facis.  
 Componis belle mimos, epigrammata belle ;  
 Bellus grammaticus, bellus es astrologus.  
 Et belle cantas, et saltas, Attale, belle.  
 Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.  
 Nil bene cum facias, facias attamen omnia belle.  
 Vis dicam quid sis ? magnus es ardelio.—*Ep. vii.*

Quinctiliane, vagæ moderator summe juventæ,  
 Gloria Romanæ, Quinctiliane, togæ,  
 Vivere quod proprio pauper, nec inutilis annis,  
 Da veniam : properat vivere nemo satis.  
 Differat hoc, patrios optat qui vincere census,  
 Atriaque immodicis arctat imaginibus.  
 Me focus, et nigros non indignantia fumos  
 Tecta juvant, et fons vivus, et herba rudis.  
 Si mihi verna satur : sit non doctissima conjux :  
 Sit nox cum somno : sit sine lite dies.—*Ep. xc.*

## LIB. IV.

Prima salutantes atque altera continet hora ;  
 Exercet raucos tertia causidicos.  
 In quintam varios extendit Roma labores.  
 Sexta quies lassis, septima finis erit.

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris ;  
 Imperat exstructos frangere nona toros.  
 Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum ;  
 Temperat ambrosias cum tua cura dapes ;  
 Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,  
 Ingentique tenet pocula parca manu.  
 Tunc admitte jocos : gressu timet ire licenti  
 Ad matutinum nostra Thalia Jovem.—*Ep. viii.*

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes,  
 Et Saturninum te miser esse pudet :  
 Impia Parrhasia movisti bella sub ursa,  
 Qualia qui Phariæ conjugis arma tulit.  
 Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus,  
 Obruit Actiaci quod gravis ira freti ?  
 An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi  
 Nilus, et Arctōis plus licuisset aquis ?  
 Ille etiam nostris Antonius occidit armis,  
 Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.—*Ep. xi.*

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,  
 Et madet assiduo lubricus imbre lapis,  
 In jugulum pueri, qui roscida tecta subibat,  
 Decidit hiberno prægravis unda gelu :  
 Cumque peregisset miseri crudelia fata,  
 Tabuit in calido vulnere mucro tener.  
 Quid non sæva sibi voluit Fortuna licere ?  
 At ubi mors non est, si jugulatis aquæ ?—*Ep. xviii.*

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris :  
 Presserat hic madidos nobilis uva lacus.  
 Hæc juga, quam Nysæ colles, plus Bacchus amavit :  
 Hoc nuper Satyri monte dedere choros.  
 Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi :  
 Hic locus Herculeo nomine clarus erat.  
 Cuncta jacent flammis, et tristi mersa favilla :  
 Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.—*Ep. xliv.*

Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,  
 Et quæ pumiceis fontibus antra calent :  
 Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,

Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.  
 Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri :  
 Nec satis est, Bajas igne calere suo.  
 Ergo sacri fontes et litora grata valete,  
 Nympharum pariter Nereidumque domus.  
 Herculeos colles gelida vos vincite bruma,  
 Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.—*Ep. lvii.*

Juli jugera pauca Martialis,  
 Hortis Hesperidum beatiora,  
 Longo Janiculi jugo recumbunt :  
 Lati collibus imminent recessus :  
 Et planus modico tumore vertex  
 Cœlo perfruit sereniore :  
 Et curvas nebula tegente valles  
 Solus luce nitet peculiari :  
 Puris leniter admoventur astris  
 Celsæ culmina delicata villæ.  
 Hinc septem dominos videre montes,  
 Et totam licet æstimare Romam,  
 Albanos quoque, Tusculosque colles,  
 Et quodecumque jacet sub urbe frigus,  
 Fidenas veteres, brevesque Rubras,  
 Et quod virgineo cruento gaudet,  
 Annæ pomiferum nemus Perennæ.  
 Illic Flaminiae, Salariæque  
 Gestator patet, essedo tacente,  
 Ne blando rota sit molesta somno,  
 Quem nec rumpere nauticum celeusma,  
 Nec clamor valet helciariorum ;  
 Cum sit tam prope Mulvius, sacrumque  
 Lapsæ per Tiberim volent carinæ.  
 Hoc rus (seu potius domus vocanda est)  
 Commendat dominus ; tuam putabis :  
 Tam non inyida, tamque liberalis,  
 Tam coini patet hospitalitate.  
 Credas Alcinöi pios Penates,  
 Aut facti modo divitis Molorchi.  
 Vos nunc omnia parva qui putatis,  
 Centeno gelidum ligone Tibur,  
 Vel Præneste domate, pendulamque

Uni dedite Setiam colono :  
 Dum, me judice, præferantur istis  
 Juli jugera pauca Martialis.—*Ep. lxiv.*

## LIB. V.

Cras te victorum, cras dicas, Posthume, semper.  
 Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit ?  
 Quam longe cras istud ? ubi est ? aut unde petendum ?  
 Numquid apud Parthos Armeniosque latet ?  
 Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.  
 Cras istud quanti, dic mihi, possit emi ?  
 Cras vives : hodie jam vivere, Posthume, serum est.  
 Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.—*Ep. lviii.*

Antoni Phario nil objecture Pothino,  
 Et levius tabula, quam Cicerone, nocens :  
 Quid gladium demens Romana stringis in ora ?  
 Hoc admisisset nec Catilina nefas.  
 Impius infando miles corrumpitur auro :  
 Et tantis opibus vox tacet una tibi.  
 Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguae ?  
 Incipient omnes pro Cicerone loqui.—*Ep. lxix.*

## LIB. VII.

Hæc est illa dies, quæ, magni conscientia partus,  
 Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.  
 Heu ! Nero crudelis, nullaque invisiōr umbra :  
 Debuit hoc saltem non licuisse tibi.—*Ep. xxi.*

Hic jacet ille senex, Augusta notus in aula,  
 Pectore non humili passus utrumque Deum ;  
 Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris  
 Miscuit : Elysium possidet ambo nemus.  
 Occidit illa prior viridi fraudata juventa :  
 Hic prope ter senas vidi Olympiadas.  
 Sed festinatis raptum tibi credidit annis,  
 Adspexit lacrimas quisquis, Etrusce, tuas.—*Ep. xl.*

Perpetui nunquam moritura volumina Sili  
 Qui legis, et Latia carmina digna toga ;  
 Pierios tantum vati placuisse recessus

Credis, et Aoniæ Bacchica certa comæ ?  
 Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,  
 Implevit magni quam Ciceronis opus.  
 Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum ;  
 Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.  
 Postquam bis senis ingentem fascibus annum  
 Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit :  
 Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos ;  
 Proque suo celebrat nunc Helicona foro.—*Ep. lxiii.*

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos  
 Inter delicias pulchra Vienna suas.  
 Me legit omnis ibi senior, juvenisque, puerque,  
 Et coram tetrico casta puella viro.  
 Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,  
 Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt ;  
 Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,  
 Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes.  
 Non nihil ergo sumius, nec blandæ munere linguae  
 Decipimur : credam jam, puto, Lause, tibi.—*Ep. lxxxviii.*

## LIB. VIII.

Quinque satis fuerant ; nam sex, septemve libelli,  
 Est nimium : quid adhuc ludere, Musa, juvat ?  
 Sit pudor, et finis : jam plus nihil addere nobis  
 Fama potest : teritur noster ubique liber.  
 Et cum rupta situ Messalæ saxa jacebunt,  
 Alaque cuin Licini marmora pulvis erunt :  
 Me tamen ora legent, et secum plurimus hospes  
 Ad patrias sedes carmina nostra feret.  
 Finieram, cum sic respondit nona sororum,  
 Cui coma, et unguento sordida vestis erat :  
 Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas ?  
 Dic mihi, quid melius desidiosus ages ?  
 An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos ?  
 Aspera vel paribus bella tonare modis ?  
 Prælegat ut tumidus rauca te voce magister,  
 Oderit et grandis virgo bonusque puer ?  
 Scribant ista graves nimium, nimiumque severi,  
 Quos media miseros nocte lucerna videt.

At tu Romano lepidos sale tinge libellos :  
 Agnoscat mores vita legatque suos.  
 Angusta cantare licet videaris avena,  
 Dum tua multorum vincat avena tubas.—*Ep. iii.*

## LIB. IX.

In Tartessiacis domus est notissima terris,  
 Qua dives placidum Corduba Bætin amat ;  
 Vellera nativo pallent ubi flava metallo,  
 Et linit Hesperium bractea viva pecus :  
 Ædibus in mediis totos amplexa Penates  
 Stat platanus densis Cæsariana comis :  
 Hospitis invicti posuit quam dextera felix,  
 Cœpit et ex illa crescere virga manu.  
 Auctorem, dominumque nemus sentire videtur :  
 Sic viret, et ramis sidera celsa petit.  
 Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni,  
 Terruit et tacitam fistula sera domum :  
 Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,  
 Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.  
 Atque oluere lares commissatore Lyæo,  
 Crevit et effuso lætior umbra mero :  
 Hesternisque rubens dejecta est herba coronis,  
 Atque suas potuit dicere nemo rosas.  
 O dilecta Deis, o magni Cæsaris arbor,  
 Ne metuas ferrum, sacrilegosq; focos.  
 Perpetuos sperare licet tibi frondis honores :  
 Non Pompeianæ te posuere manus.—*Ep. lxii.*

Rumpitur invidia quidam, carissime Juli,  
 Quod me Roma legit, rumpitur invidia.  
 Rumpitur invidia, quod turba semper in omni  
 Monstramus digito, rumpitur invidia.  
 Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque  
 Jus mihi natorum, rumpitur invidia.  
 Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,  
 Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.  
 Rumpitur invidia, quod sum jucundus amicis,  
 Quod conviva frequens, rumpitur invidia.

Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur :  
 Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.—*Ep. xviii.*

## LIB. X.

Omnis Sulpiciam legant puellæ,  
 Uni quæ cupiunt viro placere.  
 Omnes Sulpiciam legant mariti,  
 Uni qui cupiunt placere nuptæ.  
 Non hæc Colchidos asserit furorem,  
 Diri prandia nec refert Thyestæ ;  
 Scyllam, Byblida nec fuisse credit :  
 Sed castos docet, et pios amores,  
 Lusus, delicias, facetiasque.  
 Cujus carmina qui bene æstimarit,  
 Nullam dixerit esse nequiorem,  
 Nullam dixerit esse sanctiorem.  
 Tales Egeriæ jocos fuisse  
 Udo crediderim Numæ sub antro.  
 Hac condiscipula, vel hac magistra  
 Esse doctior et pudica, Sappho.  
 Sed tecum pariter simulque visam  
 Durus Sulpiciam Phaon amaret.  
 Frustra : namque ea nec Tonantis uxor,  
 Nec Bacchi, nec Apollinis puella  
 Erepto sibi viveret Caleno.—*Ep. xxxv.*

# SENeca.

---

## MEDEA. ACT. II. 301.

AUDAX nimium, qui freta primus  
Rate tam fragili perfida rupit ;  
Terrasque suas post terga videns,  
Animam levibus credidit auris ;  
Dubioque secans æquora cursu,  
Potuit tenui fidere ligno,  
Inter vitæ mortisque vias  
Nimium gracili limite ducto.  
Nondum quisquam sidera norat ;  
Stellisque, quibus pingitur æther,  
Non erat usus : nondum pluvias  
Hyadas poterant vitare rates :  
Non Oleniæ sidera capræ :  
Non quæ sequitur flectitque senex  
Arctica tardus plaustra Bootes :  
Nondum Boreas, nondum Zephyrus  
Nomen habebant.  
Ausus Tiphys pandere vasto  
Carbasa ponto, legesque novas  
Scribere ventis. nunc lina sinu  
Tendere toto : nunc prolato  
Pede transversos captare Notos :  
Nunc antennas medio tutas  
Ponere malo : nunc in summo  
Religare loco, cum jam totos  
Avidus nimium navita flatus  
Optat, et alto rubicunda tremunt  
Suppara velo.  
Candida nostri sæcula patres  
Videre, procul fraude remota.  
Sua quisque piger littora tangens,  
Patioque senex factus in arvo :

Parvo dives, nisi quas tulerat  
 Natale solum, non norat opes.  
 Bene dissepti fœdera mundi  
 Traxit in unum Thessala pinus,  
 Jussitque pati verbera pontum ;  
 Partemque metus fieri nostri  
 Mare sepositum. Dedit illa graves  
 Improba poenas, per tam longos  
 Ducta timores : cum duo montes,  
 Claustra profundis, hinc atque illinc  
 Subito impulsu, velut ætherio  
 Gemerent sonitu ; spargeret astra  
 Nubesque ipsas mare deprenum.  
 Palluit audax Tiphys, et omnes  
 Labente manu misit habenas :  
 Orpheus tacuit torpente lyra ;  
 Ipsaque vocem perdidit Argo.  
**Quid !** cum Siculi virgo Pelori,  
 Rabidos utero succincta canes,  
 Omnes pariter solvit hiatus,  
 Quis non totos horruit artus,  
 Toties uno latrante malo ?  
**Quid !** cum Ausonium diræ pestes  
 Voce canora mare mulcerent ;  
 Cum Pieria resonans cithara  
 Thraci Orpheus solitam cantu  
 Retinere rates pene coëgit  
 Sirena sequi ? quod fuit hujus  
 Pretium cursus ? aurea pellis ;  
 Majusque mari Medea malum,  
 Merces prima digna carina.  
 Nunc jam cessit pontus, et omnes  
 Patitur leges. Non Palladia  
 Compacta manu regum referens  
 Inclita remos quæritur Argo.  
 Quælibet altum cymba pererrat,  
 Terminus omnis motus, et urbes  
 Muros terra posuere nova.  
 Nil, qua fuerat sede, reliquit  
 Pervius orbis.  
 Indus gelidum potat Araxem :

Albim Persæ Rhenumque bibunt.  
 Venient annis sæcula seris,  
 Quibus Oceanus vincula rerum  
 Laxet, et ingens pateat tellus,  
 Tethysque novos detegat orbes ;  
 Nec sit terris ultima Thule.

---

## HERCULES FURENS. ACT. I. 1.

SOROR Tonantis (hoc enim solum mihi  
 Nomen relictum est) semper alienum Jovem,  
 Ac templa summi vidua deserui ætheris ;  
 Locumque, cœlo pulsa, pellicibus dedi.  
 Tellus colenda est : pellices cœlum tenent.  
 Hinc, Arctos alta parte glacialis poli  
 Sublime classes sidus Argolicas agit ;  
 Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,  
 Tyriæ per undas vector Europæ nitet ;  
 Illinc, timendum ratibus ac ponto gregem  
 Passim vagantes exerunt Atlantides.  
 Ferro minaci hinc terret Orion Deos :  
 Suasque Perseus aureus stellas habet.  
 Hinc, clara gemini signa Tyndaridæ micant :  
 Quibusque natis mobilis tellus stetit.  
 Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,  
 Adiere Superos : ne qua pars probro vacet,  
 Mundus puellæ serta Gnossiacæ gerit.  
 Sed vetera querimur : una me dira ac fera  
 Thebana nuribus sparsa tellus impiis,  
 Quoties novercam fecit ? Escendat licet,  
 Meumque victrix teneat Alcimene locum ;  
 Pariterque natus astra promissa occupet ;  
 In cujus ortus mundus impendit diem,  
 Tardusque Eoo Phœbus effulsit mari,  
 Retinere mersum jussus Oceano jubar.  
 Non sic abibunt odia : vivaces aget  
 Violentus iras animus, et sævus dolor  
 Æterna bella pace sublata geret.  
 Quæ bella ? quidquid horridum tellus creat

Inimica ; quidquid pontus aut aër tulit  
 Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum ;  
 Fractum atque domitum est. Superat, et crescit malis ;  
 Iraque nostra fruitur : in laudes suas  
 Mea vertit odia. Dum nimis sæva impero,  
 Patrem probavi : gloriæ feci locum :  
 Qua Sol reducens, quaque deponens diem,  
 Binos propinqua tingit Æthiopas face,  
 Indomita virtus colitur, et toto Deus  
 Narratur orbe. Monstra jam desunt mihi ;  
 Minorque labor est Herculi jussa exequi,  
 Quam mihi jubere : lætus imperia excipit.  
 Quæ fera tyranni jussa violento queant  
 Nocere juveni ? nempe pro telis gerit,  
 Quæ timuit, et quæ fudit : armatus venit  
 Leone et hydra. Nec satis terræ patent :  
 Effregit ecce limen inferni Jovis,  
 Et opima victi regis ad superos refert.  
 Parum est reverti : foedus umbrarum perit.  
 Vidi ipsa, vidi nocte discussa Inferum,  
 Et Dite domito, spolia jactantem patri  
 Fraterna : cur non victum et oppressum trahit  
 Ipsum catenis paria sortitum Jovi ?  
 Ereboque capto potitur, et retegit Styga ?  
 Patefacta ab imis manibus retro via est,  
 Et sacra diræ Mortis in aperto jacent.  
 At ille, rupto carcere umbrarum, ferox  
 De me triumphat, et superbifica manu  
 Atrum per urbes dicit Argolicas canem.  
 Viso labantem Cerbero vidi diem,  
 Pavidumque solem : me quoque invasit tremor,  
 Et terna monstri colla devicti intuens,  
 Timui imperasse. Lævia sed nimium queror,  
 Cœlo timendum est ; regna ne summa occupet,  
 Qui vicit ima : sceptra præripiet patri.  
 Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via :  
 Iter ruina quæreret, et vacuo volet  
 Regnare mundo. Robore experto tumet,  
 Et posse cœlum viribus vinci suis  
 Didicit ferendo. subdidit mundo caput,  
 Nec flexit humeros molis immensæ labor

Mediusque collo sedit Herculeo polus.  
 Immota cervix sidera et cœlum tulit,  
 Et me prementem. Quærit ad Superos viam.  
 Perge ira, perge, et magna meditantem opprime.  
 Congredere ; manibus ipsa dilacera tuis.  
 Quid tanta mandas odia? discedant feræ :  
 Ipse imperando fessus Eurystheus vacet.  
 Titanas ausos rumpere imperium Jovis  
 Emitte : Siculi verticis laxa specum.  
 Tellus gigante Doris excusso tremens  
 Supposita monstri colla terrifici levet.  
 Sublimis alias Luna concipiat feras.  
 Sed vicit ista. Quæris Alcidæ parem?  
 Nemo est, nisi ipse: bella jam secum gerat.  
 Adsint ab imo Tartari fundo excitæ  
 Eumenides : ignem flammeæ spargant comæ :  
 Viperea sævæ verbera incutiant manus.  
 I nunc, superbe, cœlitum sedes pete ;  
 Humana temne. Jam Styga et Manes, ferox,  
 Fugisse credis? hic tibi ostendam Inferos.  
 Revocabo in alta conditam caligine  
 Ultra nocentum exilia discordem Deam,  
 Quam munit ingens montis oppositi specus.  
 Educam, et imo Ditis e regno extraham  
 Quidquid relictum est. Veniat invisum Scelus,  
 Suumque lambens sanguinem impietas ferox,  
 Errorque, et in se semper armatus Furor.  
 Hoc, hoc ministro noster utatur dolor.  
 Incipite famulæ Ditis ; ardenter incitæ  
 Concudit pinum : et agmen horrendum anguibus  
 Megæra ducat ; atque luctifica manu  
 Vastam rogo flagrante corripiat trabem.  
 Hoc agite: pœnas petite violatæ Stygis:  
 Concudit pectus : acrior mentem excoquat  
 Quam qui caminis ignis Ætnæis furit.  
 Ut possit animo captus Alcides agi,  
 Magno furore percitus, nobis prius  
 Insaniendum est. Juno, cur nondum furis?  
 Me, me, sorores, mente dejectam mea  
 Versate primam, facere si quidquam apparo  
 Dignum noverca: jam odia mutentur mea.

Natos reversus videat incolumes, precor,  
Manuque fortis redeat: inveni diem,  
Invisa quo nos Herculis virtus juvet:  
Me pariter et se vincat; et cupiat mori  
Ab Inferis reversus: hic prosit mihi,  
Jove esse genitum: stabo, et ut certo exeant  
Emissa nervo tela, librabo manum:  
Regam furentis arma: pugnanti Herculi  
Tandem favebo. Scelere perfecto, licet,  
Admittat illas genitor in cœlum manus.  
Movenda jam sunt bella; clarescit dies,  
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

# C L A U D I A N U S.

---

## IN RUFINUM. LIB. I. Præf.

Phœbeo domitus Python cum decidit arcu,  
Membraque Cirrhæo fudit anhela jugo :  
Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu  
Flumina, sanguineis tangeret astra jubis :  
Jam liber Parnassus erat, nexusque soluto  
Cœperat erecta surgere fronde nemus.  
Concussæque diu spatiosis tractibus orni  
Securas ventis explicuere comas.  
Et qui vipereo spumavit sæpe veneno  
Cephissos liquidis purior ibat aquis.  
Omnis, & Pæan, regio sonat : omissa Phœbum  
Rura canunt. Tripodas plenior aura rotat.  
Auditoque procul Musarum carmine ducti,  
Ad Themidis coëunt antra severa Dei.  
Nunc alio Domini telis Pythone perempto  
Convenit ad nostram sacra caterva lyram.  
Qui stabilem servant Augustis fratribus orbem,  
Justitia pacem, viribus arma regunt.

## LIB. I. 3.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,  
Curarent Superi terras, an nullus inesset  
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.  
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,  
Præscriptosque mari fines, annisque meatus,  
Et lucis noctisque viæs : tunc omnia rebar  
Consilio firmata Dei, qui lege moveri  
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,  
Qui variam Phœben alieno jusserit igni  
Compleri, Solemque suo : porrexerit undis  
Litora : tellurem medio libraverit axe.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi  
 Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,  
 Vexarique pios: rursus labefacta cadebat  
 Relligio, caussæque viam non sponte sequebar  
 Alterius, vacuo quæ currere semina motu  
 Affirmat, magnumque novas per imane figuras  
 Fortuna, non arte, regi: quæ Numinia sensu  
 Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.  
 Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,  
 Absolvitque Deos: jam non ad culmina rerum  
 Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,  
 Ut lapsu graviore ruant. Vos pandite vati  
 Pierides, quo tanta lues eruperit ortu?

---

## DE III. CONS. HONORII Præf. VI. 1.

Parvos non aquilis fas est educere fetus  
 Ante fidem Solis, judiciumque poli.  
 Nam pater, excusso saliit cum tegmine proles,  
 Ovaque maternus rupit hiulca tepor,  
 Protinus implumes convertit ad æthera nidos,  
 Et recto flamas imperat ore pati.  
 Consulit ardentes radios, et luce magistra  
 Natorum vires ingeniumque probat.  
 Degeneres refugo torsit qui lumine visus,  
 Unguis hunc sævis ira paterna ferit.  
 Exploratores oculis qui pertulit ignes,  
 Sustinuitque acie nobiliore diem;  
 Nutritur, volucrumque potens, et fulminis hæres,  
 Gesturus summo tela trisulca Jovi.  
 Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris  
 Audet magna suo mittere Roma Deo.  
 Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,  
 Et chelys Augusto judice nostra sonat.

## CARM. VII. 73.

Quæ tibi tunc Martis rabies, quantusque sequendi  
 Ardor erat? quanto flagrabant pectora yoto.

Optatas audire tubas, campique cruenta  
 Tempestate frui, truncisque immergere plantas ?  
 Ut leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat  
 Uberibus solitum pasci, cum crescere sensit  
 Ungue pedes, et terga jubis, et dentibus ora ;  
 Jam negat imbelles epulas, et rupe relictæ  
 Gætulo comes ire patri, stabulisque minari  
 Æstuat, et celsi tabo sordere juvenci.  
 Ille vetat, rerumque tibi commendat habenas,  
 Et sacro meritos ornat diademate crines.  
 Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis,  
 Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes  
 Imperiū tibi sero datum. Victoria velox  
 Auspiciis effecta tuis: pugnastis uterque ;  
 Tu fatis genitorque manu: te propter et Alpes  
 Invadi faciles; cauto nec profuit hosti  
 Munitis hæsisse locis, spes irrita valli  
 Concidit, et scopulis patuerunt claustra revulsis.  
 Te propter gelidis Aquilo de monte procellis  
 Obruit adversas acies, revolutaque tela  
 Vertit in auctores, et turbine reppulit bastas.  
 O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris  
 Æolus armatas hyemes; cui militat æther,  
 Et conjurati veniunt ad classica venti !  
 Alpinæ rubuere nives, et Frigidus amnis  
 Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum  
 Staret, ni rapidus juisset flumina sanguis.  
 At ferus inventor scelerum trajecerat altum  
 Non uno mucrone latus, duplexque tepebat  
 Ensis, et ultrices in se converterat iras,  
 Tandem justa manus, jam libertate reducta,  
 Quamvis emeritum peteret natura reverti  
 Numen, et auratas astrorum panderet arces,  
 Nutaretque oneri venturo conscius Atlas ;  
 Distulit Augustus cupido se reddere cœlo,  
 Dum tibi pacatum præsenti traderet orbem :  
 Nec mora ; Bistonis alacer consurgis ab oris,  
 Inter Barbaricas ausus transire cohortes  
 Impavido vultu : linquis Rhodopeia saxa  
 Orpheï animata modis : juga deseris Ætes  
 Herculeo damnata rogo : post Pelion intras

Nereis illustre toris: te pulcher Enipeus  
 Celsaque Dodone stupuit, rursusque locutæ  
 In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.  
 Illyrici legitur plaga litoris: arva teruntur  
 Dalmatiæ: Phrygii numerantur stagna Timavi.  
 Gaudent Italiæ sublimibus oppida muris  
 Adventu sacrata tuo: submissus adorat  
 Eridanus, blandosque jubet mitescere fluctus,  
 Et Phaëthonæas solitæ deflere ruinas  
 Roscida frondosæ revocant electra sorores.

---

## DE II. CONS. FL. STILICHONIS.

## PRAEFATIO.

MAJOR Scipiades, Italìs qui solus ab oris  
 In proprium vertit Punica bella caput,  
 Non sine Pieriis exercuit artibus arma:  
 Semper erat vatum maxima cura duci.  
 Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas.  
 Carmen amat quisquis carmine digna gerit.  
 Ergo seu patriis primævus manibus ulti  
 Subderet Hispanum legibus Oceanum,  
 Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires  
 Inferret Libyco signa tremenda mari;  
 Hærebat doctus lateri, castrisque solebat  
 Omnibus in medias Ennius ire tubas.  
 Illi post lituos pedites favere canenti,  
 Laudavitque nova cæde cruentus eques.  
 Cumque triumpharet gemina Carthagine victa,  
 Hanc vindex patris vicerat, hanc patriæ;  
 Cum longi Libyam tandem post funera belli  
 Ante suas mœstam cogeret ire rotas;  
 Advexit reduces secum victoria Musas,  
 Et sertum vati Martia laurus erat.  
 Noster Scipiades Stilichoquo concidit alter:  
 Hannibal, antiquo sævior Hannibale.  
 Te mihi post quinos annorum, Roma, recursus  
 Reddidit, et votis jussit adesse suis.

## DE RAPTU PROSERPINÆ. LIB. I. Præf.

Inventa secuit qui primus nave profundum,  
 Et rudibus remis sollicitavit aquas :  
 Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,  
 Quas natura negat, præbuit arte vias :  
 Tranquillis primum trepidus se credidit undis,  
 Litora seculo tramite summa legens :  
 Mox longos tentare sinus, et linquere terras,  
 Et leni cœpit pandere vela Noto.  
 Ast ubi paulatim præceps audacia crevit,  
 Cordaque languentem dedidicere metum :  
 Jam vagus exsultat pelago, cœlumque secutus  
 Ægeas hiemes Ioniasque domat.

---

Infernī raptoris equos, afflataque curru  
 Sidera Tænario, caligantesque profundæ  
 Junonis thalamos audaci prodere cantu  
 Mens congesta jubet : gressus removete, profani !  
 Jam furor humanos nostro de pectore sensus  
 Expulit, et totum spirant præcordia Phœbum.  
 Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri  
 Sedibus, et claram dispergere culmina lucem,  
 Adventum testata Dei, jam magnus ab imis  
 Auditur fremitus terris, templumque remugit  
 Cecropium, sanctasque faces attollit Eleusis.  
 Angues Triptolemi stridunt, et squamea curvis  
 Colla levant attrita jugis, lapsuque sereno  
 Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.  
 Ecce procul ternas Hecate variata figuræ  
 Exoritur, lenisque simul procedit Iacchus  
 Crinali florens edera, quem Parthica velat  
 Tigris, et auratos in nodum colligit ungues.  
 Ebria Mæonius firmat vestigia thyrsus.

Dii, quibus in numerum vacui famulantur Averni  
 Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris  
 Quicquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit  
 Interfusa vadis, et quos fumantia torquens

Æquora vorticibus Phlegethon perlustrat anhelis :  
 Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,  
 Et vestri secreta poli, qua lampade Ditem  
 Flexit amor, quo ducta ferox Proserpina raptu  
 Possedit dotale Chaos ; quantasque per oras  
 Sollicito genetrix erraverit anxia cursu.  
 Unde datae populis leges, et glande reicta  
 Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras  
 Prælia moturus Superis, quod solus egeret  
 Connubii, sterilesque diu consumeret annos,  
 Impatiens nescire torum, nullasque mariti  
 Illecebras, nec dulce patris cognoscere nomen.  
 Jam quæcumque latent ferali monstra barathro  
 In turmas aciemque ruunt, contraque Tonantem  
 Conjurant Furiæ : crinitaque sontibus hydris  
 Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum,  
 Armatos ad castra vocat pallentia Manes.  
 Pene reluctatis iterum pugnantia rebus  
 Rupissent elementa fidem, penitusque revulso  
 Carcere laxatis pubes Titania vinclis  
 Vidisset coeleste jubar, rursusque cruentus  
 Ægæon positis arcto de corpore nodis  
 Obvia centeno vexasset fulmina motu.  
 Sed Parcæ vetuere minas, orbique timentes  
 Ante pedes soliumque ducis fudere severam  
 Canitiem, genibusque suas cum supplice vultu  
 Admovere manus, quarum sub jure tenentur  
 Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt,  
 Longaque ferratis evolvunt secula pensis.  
 Prima fero Lachesis clamabat talia regi,  
 Incultas dispersa comas : O maxime noctis  
 Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant  
 Stamina ; qui finem cunctis et semina præbes,  
 Nascendique vices alterna morte rependis ;  
 Qui vitam letumque regis : nam quicquid ubique  
 Gignit materies, hoc te donante creatur,  
 Debeturque tibi, certisque ambagibus ævi  
 Rursus corporeos animæ mutantur in artus.  
 Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,  
 Quas dedimus, nevitque colua : non sed dare futu-

Civili converte tuba. Cur impia tollis  
 Signa? quid incestis aperis Titanibus auras?  
 Posce Jovem, dabitur conjux. Vix illa: pepereit,  
 Erubuitque preces, animusque relanguit atrox,  
 Quamvis indocilis flecti. ceu turbine rauco  
 Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali  
 Hispidus et Getica concretus grandine pennas  
 Bella cupit, pelagus, sylvas, camposque sonoro  
 Flamine rapturus; si forte adversus aenos  
 Æolus objecit postes, vanescit inanis  
 Impetus, et fractæ redeunt in claustra procellæ.

---

## DE SENE VERONENSI. I.

FELIX, qui patriis ævum transegit in agris,  
 Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem:  
 Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,  
 Unius numeret secula longa casæ.  
 Illum non vario traxit fortuna tumultu,  
 Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.  
 Non freta mercator tremuit, non classica miles:  
 Non rauci lites pertulit ille fori.  
 Indocilis rerum: vicinæ nescius urbis,  
 Adspectu fruitur liberiore poli.  
 Frugibus alternis, non Consule, computat annum:  
 Autumnum pomis, ver sibi flore notat.  
 Idem condit ager Soles, idemque reducit,  
 Metiturque suo rusticus orbe diem.  
 Ingentem meminit parvo qui germine quercum,  
 Æquævumque videt consenuisse nemus.  
 Proxima cui nigris Verona remotior Indis,  
 Benacumque putat litora rubra lacum.  
 Sed tamen indomitæ vires, firmisque lacertis  
 Ætas robustum tertia cernit avum.

# PRUDENTIUS.

---

## CONTRA SYMMACHUM. LIB. II.

### PRÆFATIO.

Simon, quem vocant Petrum,  
Summus discipulus Dei,  
Lucis forte sub exitu,  
Cum vesper croceus rubet,  
Curvam vulserat ancoram,  
Captans flamina linteis,  
Et transnare volens fretum.  
Nox ventum movet obvium,  
Fundo qui mare misceat,  
Jactatam quatiat ratem :  
Clamor nauticus æthera  
Plangens atque ululans ferit,  
Cum stridore rudentium ;  
Nec quidquam suberat spei  
Mergendis prope naufragis.  
Cum Christum procul aspicit  
Pallens turba periculis,  
Calcantem pedibus mare,  
Ac si per solidam viam  
Siccum litus obambulet.

Hæc miracula cæteri  
Vectores pavidi stupent.  
Solus nontrepidus Petrus  
Agnoscit Dominum poli,  
Terræque, et maris invii ;  
Cujus omnipotentiæ est  
Plantis æquora subdere.  
Tendit suppliciter manus,  
Notum subsidium rogat.  
Ast ille placide annuens,  
Puppi ut desiliat, jubet.  
Jussis obsequitur Petrus,  
Sed vestigia fluctibus

Summis tinguere cœperat,  
 Et lapsante gradu pedes  
 Pessum mergere lubricos.  
 Mortalem Deus increpat,  
 Quod sit nonstabili fide,  
 Nec calcare fluentia,  
 Nec Christum valeat sequi.

Tum dextra famulum levat,  
 Sistitque et docet ingredi  
 Tergum per tumidum freti.

Sic me, tuta silentia  
 Egressum, dubiis loquax  
 Infert lingua periculis.  
 Non ut discipulum Petrum  
 Fidentem merito et fide,  
 Sed quem culpa frequens levem  
 Volvat per freta naufragum.

Sum plane temerarius,  
 Qui noctis mihi conscius,  
 Quam vitæ in tenebris ago,  
 Puppim credere fluctibus  
 Tanti non timeam viri ;  
 Quo nunc nemo disertior.  
 Exultat, fremit, intonat,  
 Ventisque eloquii tumet.  
 Cui mersare facillimum est  
 Tractandæ indocilem ratis ;  
 Ni tu, Christe potens, manum  
 Dextro numine porregas ;  
 Facundi oris ut impetus  
 Non me fluctibus obruat ;  
 Sed sensim gradiens, vadis  
 Insistam fluitantibus.



## APPENDIX.

---

### OVIDII HEROIDES.

#### PENELOPE ULYSSI.

HANC tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse.

Nil mibi rescribas : attamen ipse veni.

Troja jacet certe Danais invisa puellis :

Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.

O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat,

Obrutus insanis esset adulter aquis !

Non ego deserto jacuisse frigida lecto,

Nec quererer tardos ire relicta dies :

Nec mihi quærenti spatiösam fallere noctem,

Lassaret viduas pendula tela manus.

Quando ego non timui graviora pericula veris ?

Res est solliciti plena timoris amor.

In te fingebam violentos Troas ituros :

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum ;

Antilochus nostri causa timoris erat.

Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis,

Flebam successu posse carere dolos.

Sanguine Tlepolemus Lyiam tepefecerat hastam ;

Tlepolemi leto cura novata mea est.

Denique, quisquis erat castris jugulatus Achivis,

Frigidius glacie pectus amantis erat.

Sed bene consuluit casto Deus æquus amori.

Versa est in cinerem sospite Troja viro.

Argolici redière duces : altaria fumant :

Ponitur ad patrios barbara præda Deos.

Grata ferunt nymphæ pro salvis dona maritis :

Illi victa suis Troia fata canunt.

Mirantur justique senes trepidæque puellæ ;  
 Narrantis conjux pendet ab ore viri.  
 Atque aliquis posita monstrat ferra prælia mensa  
 Pingit et exiguo Pergama tota mero.  
 Hac ibat Simoës ; hīc est Sigeïa tellus.  
 Hīc steterat Priami regia celsa senis.  
 Illic Æacides : illic tendebat Ulysses ;  
 Hīc lacer admissos terruit Hector equos.  
 Omnia namque tuo senior, te quærere misso,  
 Retulerat nato Nestor : at ille mihi.  
 Retulit et ferro Rhesumque Dolonaque cæsos :  
 Utque sit hic somno proditus, ille dolo ;  
 Ausus es, ô nimium nimiumque oblite tuorum,  
 Thracia nocturno tangere castra dolo ;  
 Totque simul mactare viros, adjutus ab uno.  
 At bene cautus eras, et memor ante mei.  
 Usque metu micuère sinus ; dum victor amicum  
 Dictus es Ismariis īsse per agmen equis.  
 Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis  
 Ilion ; et, murus quod fuit ante, solum,  
 Si maneo, qualis Troja durante manebam ;  
 Virque mihi dempto fine carendus, abest ?  
 Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,  
 Incola captivo quæ bove victor arat.  
 Jam seges est, ubi Troja fuit ; resecandaque falce  
 Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.  
 Semisepulta virūm curvis feriuntur aratris  
 Ossa : ruinosas occultit herba domos.  
 Victor abes ; nec scire mihi, quæ causa morandi,  
 Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.  
 Quisquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,  
 Ille mihi de te multa rogatus abit.  
 Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,  
 Traditur huic digitis charta notata meis.  
 Nos Pylon, antiqui Neleïa Nestoris arva,  
 Misimus : incerta est fama remissa Pylo,  
 Misimus et Sparten. Sparte quoque nescia veri,  
 Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.  
 Utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi.  
 Irascor votis heu levis ipsa meis !  
 Scirem ubi pugnares ; et tantum bella timerem ;

Et mea cum multis juncta querela foret.  
 Quid timeam ignoro ; timeo tamen omnia demens ;  
 Et patet in curas area lata meas.  
 Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus,  
 Tam longæ causas suspicor esse moræ.  
 Hæc ego dum stulte meditor (quæ vestra libido est)  
 Esse peregrino captus amore potes.  
 Forsitan et narres ; quam sit tibi rustica conjux :  
 Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.  
 Fallar, et hoc crimen tenues vanescat in auras :  
 Neve, revertendi liber, abesse velis.  
 Me pater Icarius viduo discedere lecto  
 Cogit, et immensas increpat usque moras.  
 Increpet usque licet : tua sum, tua dicar oportet  
 Penelope : conjux semper Ulyssis ero.  
 Ille tamen pietate mea precibusque pudicis  
 Frangitur, et vires temperat ipse suas,  
 Dulichii, Samiique, et quos tulit alta Zacynthos,  
 Turba, ruunt in me luxuriosa, proci :  
 Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula.  
 Viscera nostra, tuæ dilanianter opes.  
 Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque dirum,  
 Eurymachique avidas Antinoique manus,  
 Atque alios referam, quos omnes turpiter absens  
 Ipse tuo partis sanguine rebus alis ?  
 Itus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,  
 Ultimus accedunt in tua damna pudor.  
 Tres symus imbelles numero ; sine viribus uxor,  
 Laertesque senex, Telemachusque puer.  
 Ille per insidias paene est mihi nuper ademptus :  
 Dum parat, invitatis omnibus, ire Pylon.  
 Di precor hoc jubeant, ut, euntibus ordine fatis,  
 Ille meos oculos comprimat, ille tuos.  
 Hoc faciunt custosque boum, longævaque nutrix ;  
 Tertius, immundæ cura fidelis haræ.  
 Sed neque Laertes, ut qui sit inutilis armis,  
 Hostibus in mediis regna tenere valet.  
 Telemacho veniet (vivat modo) fortior ætas :  
 Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.  
 Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.  
 Tu citius venias, portus et ara tuis.

Est tibi, sitque precor, natus ; qui molibus annis  
 In patrias artes erudiendus erat.  
 Respice Laerden, ut jam sua lumina condas,  
 Extremum fati sustinet ille diem.  
 Certe ego, quæ fueram, te discedente, puella,  
 Protinus ut redeas, facta videbor anus.

## PHYLLOS DEMOPHOONI.

HOSPITA, Demophoon, tua te, Rhodopeia Phyllis  
 Ultra promissum tempus abesse queror.  
 Cornua cum Lunæ pleno quater orbe coissent,  
 Litoribus nostris anchora pacta tua est.  
 Luna quater latuit ; pleno quater orbe recrevit ;  
 Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.  
 Tempora si numeres, bene quæ numeramus amantes ;  
 Non venit ante suum nostra querela diem.  
 Spes quoque lenta fuit ! tarde, quæ credita lædunt,  
 Credimus : invita nunc et amante nocent.  
 Sæpe fui mendax pro te mihi : sæpe putavi  
 Alba procellosos vela referre notos.  
 Thesea devovi, quia te dimittere nollet ;  
 Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.  
 Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,  
 Mersa foret cana naufraga puppis aqua.  
 Sæpe Deos supplex, ut tu, scelerate, valeres,  
 Cum prece thuricremis devenerata focis.  
 Sæpe videns ventos cœlo, pelagoque faventes,  
 Ipsa mihi dixi ; Si valet, ille venit.  
 Denique fidus amor, quicquid properantibus obstat,  
 Finxit, et ad causas ingeniosa fui.  
 At tu lentus abes : nec te jurata reducunt.  
 Numinæ ; nec nostro motus amore redis.  
 Demophoon, ventis et verba et vela dedisti :  
 Vela queror reditu, verba carere fide.  
 Dic mihi quid feci ; nisi non sapienter amavi ?  
 Crimine te potui demeruisse meo.  
 Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi.  
 Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.  
 Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextræ ?

Quique erat in falso plurimus ore Deus ?  
 Promissus socios ubi nunc Hymenæus in annos,  
 Qui mihi conjugii sponsor et obses erat ?  
 Per mare, quod totum ventis agitatur et undis ;  
 Per quod sæpe ieras, per quod iturus eras :  
 Perque tuum mihi jurasti (nisi fictus et ille est)  
 Concita qui ventis æquora mulcet, avum :  
 Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,  
 Altera tela arcus, altera tela faces :  
 Junonemque, toris quæ præsidet alma maritis,  
 Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.  
 Si de tot læsis sua numina quisque Deorum  
 Vindicet ; in pœnas non satis unus eris.  
 At laceras etiam puppes furiosa refeci :  
 Ut, qua desererer, firma carina foret ;  
 Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.  
 Heu patior telis vulnera facta meis !  
 Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis :  
 Credidimus generi, nominibusque tuis !  
 Credidimus lacrymis ; an et hæ simulare docentur ?  
 Hæ quoque habent artes, quaque jubentur, eunt ?  
 Dis quoque credidimus ; quo jam tot pignora nobis ?  
 Parte satis potui qualibet inde capi.  
 Nec moveor, quod te juvi portuque, locoque.  
 Debuit hoc meriti summa fuisse mei.  
 Speravi melius, quia me meruisse putavi.  
 Quæcumque ex merito spes venit, æqua venit.  
 Fallere credentem non est operosa puellam  
 Glòria ; simplicitas digna favore fuit.  
 Sum decepta tuis, et amans et fœmina verbis.  
 Di faciant, laudis summa sit ista tuæ :  
 Inter et Aegidas media statuaris in urbe :  
 Magnificus titulis stet pater ante suis.  
 Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,  
 Et Sinis, et tauri mistaque forma viri,  
 Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres,  
 Et pulsata nigri regia cæca Dei,  
 Hoc tua post illum titulo signetur imago :  
 Hic est, cuius amans hospita capta dolo est.  
 De tanta rerum turba, factisque parentis,  
 Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.

Quod solum excusat, solum miraris in illo,  
 Hæredem patriæ, perfide, fraudis agis.  
 Illa (nec in video) fruitur meliore marito ;  
 Inque capistratis tigribus alta sedet :  
 At mea despici fugiunt connubia Thraces,  
 Quod ferar externum præposuisse meis.  
 Atque aliquis, doctas jam nunc eat, inquit, Athenas :  
 Armiferam Thracen qui regat, alter erit.  
 Exitus acta probat ; careat successibus opto,  
 Quisquis ab eventu facta notanda putat,  
 At si nostra tuo spumescant æquora remo,  
 Jam mihi, jam dicar consuluisse meis.  
 Sed neque consului : nec te mea regia tanget,  
 Fessaque Bistonia membra lavabis aqua.  
 Illa meis oculis species abeuntis inhæret,  
 Cum premeret portus classis itura meos.  
 Ausus es amplecti ; colloque infusus amantis  
 Oscula per longas jungere pressa moras :  
 Cumque tuis lacrymis, lacrymas confundere nostras ;  
 Quodque foret velis aura secunda, queri :  
 Et mihi discedens suprema dicere voce ;  
 Phylli, face expectes Demophoonta tuum.  
 Expectem qui me nunquam visurus abisti ?  
 Expectem pelago vela negata meo ?  
 Et tamen expecto, redeas modo serus amanti :  
 Ut tua sit solo tempore lapsa fides.  
 Quid precor infelix ? jam te tenet altera conjux  
 Forsitan, et, nobis qui male favit, amor.  
 Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.  
 Hei mihi ! si, quæ sim Phyllis, et unde, rogas,  
 Quæ tibi, Demophoon, longis erroribus acto  
 Threïcios portus, hospitiumque dedi.  
 Cujus opes auxere meæ : cui dives egenti  
 Munera multa dedi, multa datura fui.  
 Quæ tibi subjici latissima regna Lycurgi,  
 Nomine fœmineo vix satis apta regi :  
 Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum,  
 Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.  
 Sive die laxatur humus, seu frigida lucent  
 Sidera ; prospicio, quis freta ventus agat.  
 Et quæcunque procul venientia lintea vidi,

Protinus illa meos auguror esse Deos.  
 In freta procurro, vix me retinentibus undis,  
     Mobile qua primas porrigit æquor aquas.  
 Quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto :  
     Linquo, et ancillis excipienda cado.  
 Est sinus, adductos modice falcatus in arcus,  
     Ultima prærupta cornua mole rigent,  
 Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas  
     Mens fuit, et, quoniam fallere pergis, erit.  
 Ad tua me fluctus projectam littora portent,  
     Occurramque oculis intumulata tuis.  
 Duritia ferrum ut superes, adamantaque, teque :  
     Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram.  
 Sæpe venenorum sitis est mihi : sæpe cruenta  
     Trajectam gladio morte perire juvat.  
 Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis  
     Præbuerunt, laqueis implicuisse libet.  
 Stat nece matura tenerum pensare pudorem :  
     In necis electum parva futura mora est.  
 Inscríbere meo causa invidiosa sepulcro :  
     Aut hoc, aut simili carmine notus eris :  
     Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem :  
     Ille neci causam præbuit, illa manum.

## C E N O N E P A R I D I.

Perlegis ? An conjux prohibet nova ? perlege : non est  
     Ista Mycenæa littera facta manu.  
 Pegasus Cœnone, Phrygiis celeberrima sylvis,  
     Læsa queror de te, si sinis ipse, meo.  
 Quis Deus opposuit nostris sua numina votis ?  
     Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest ?  
 Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est :  
     Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit.  
 Nondum tantus eras, cum, te contenta marito,  
     Edita de magno flumine Nympha fui.  
 Qui tunc Priamides (adsit reverentia vero)  
     Servus eras. Servo nubere Nympha tuli.  
 Sæpe greges inter requievimus arbore tecti,  
     Mistaque cum foliis præbuit herba torum.

Sæpe super stramen fœnoque jacentibus alto  
 Defensa est humili cana pruina casa.  
 Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos,  
 Et teget catulos qua fera rupe suos ?  
 Retia sæpe comes maculis distincta tetendi ;  
 Sæpe citos egi per juga longa canes.  
 Incisæ servant a te mea nomina fagi ;  
 Et legor Œnone falce notata tua.  
 Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt :  
 Crescite, et in titulos surgite recta meos.  
 Populus est (memini) fluviali consita ripa,  
 Est in qua nostri litera scripta memor.  
 Popule, vive precor, quæ consita margine ripæ,  
 Hoc in rugoso cortice carmen habes,  
 Cum Paris Œnone poterit spirare relicta,  
 Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.  
 Xanthe, retro propera ; versæque recurrite lymphæ,  
 Sustinet Œnonen deseruisse Paris.  
 Illa dies fatum miseræ mihi dixit ; ab illa  
 Pessima mutati cœpit amoris hyems :  
 Qua Venus et Juno, sumptisque decentior armis  
 Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.  
 Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,  
 Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.  
 Consului (neque enim modice terrebar) anusque,  
 Longævosque senes : constitit esse nefas.  
 Cæsa abies, sectæque trabes, et classe parata  
 Cærula ceratas accipit unda rates.  
 Flèsti discedens : hoc saltem parce negare.  
 Præterito magis est iste pudendus amor.  
 Et flèsti, et nostros vidisti flentis ocellos :  
 Miscuimus lacrymas moestus uterque suas.  
 Non sic appositis vincitur vitibus ulmus,  
 Ut tua sunt collo brachia nexa meo.  
 Ah ! quoties, cum te vento quererere teneri,  
 Riserunt comites ! ille secundus erat.  
 Oscula dimissæ quoties repetita dedisti !  
 Quam vix sustinuit dicere lingua, Vale!  
 Aura levis rigido pendentia lintea malo  
 Suscitat ; et remis eruta canet aqua.  
 Prosequor infelix oculis abeuntia vela.

Qua licet ; et lacrymis humet arena meis.  
 Utque celer venias, virides Nereidas oro :  
     Scilicet ut venias in mea damna celer.  
 Votis ergo meis, alii rediture, redisti ?  
     Hei mihi, pro dira pellice blanda fui ;  
     Aspicit immensum moles nativa profundum ;  
     Mons fuit : æquoreis illa resistit aquis.  
 Hinc ego vela tuæ cognovi prima carinæ :  
     Et mihi per fluctus impetus ire fuit.  
 Dum moror, in summa fulsit mihi purpura prora.  
     Pertimui : cultus non erat ille tuus.  
 Fit proprietor, terrasque cita ratis attigit aura :  
     Fœmineas vidi corde tremente genas.  
 Non satis id fuerat (quid enim furiosa morabar?)  
     Hærebat gremio turpis amica tuo.  
 Tunc vero rupique sinus, et pectora planxi,  
     Et secui madidas ungue rigente genas :  
 Implevique sacram querulis ululatibus Iden.  
     Illinc has lacrymas in mea saxa tuli.  
 Sic Helene doleat, desertaque conjugè ploret ;  
     Quæque prior nobis intulit, ipsa ferat,  
 Nunc tibi conveniunt, quæ te per aperta sequantur  
     Æquora, legitimos destituantque toros.  
 At cum pauper eras, armentaque pastor agebas,  
     Nulla, nisi Cenone, pauperis uxor erat.  
 Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,  
     Nec de tot Priami dicar ut una nurus.  
 Non tamen ut Priamus Nymphæ socer esse recuset ;  
     Art Hecubæ fuerim dissimulanda nurus.  
 Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis ;  
     Sunt mihi, quas possint sceptræ decere, manus.  
 Denique, tutus amor meus est tibi : nulla parantur  
     Bella, nec ultrices advehit unda rates.  
 Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis ;  
     Hac venit in thalamos dote superba tuos.  
 Quæ si sit Danaïs reddenda, vel Hectora fratrem,  
     Vel cum Deiphobo Polydamanta roga.  
 Quid gravis Antenor, Priamus quid suadeat ipse,  
     Consule ; queñs ætas longa magistra fuit.  
 Tu levior foliis, tunc cum, sine pondere succi,  
     Mobilibus ventis arida facta volant.

Et mihi est in te quam summa pondus arista,  
     Quæ levis assiduis solibus usta riget.  
 Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat,  
     Sic mihi diffusis vaticinata comis :  
 Quid facis, Oenone ? quid arenæ semina mandas ?  
     Non profecturis littora bubus aras,  
 Graia juvenca venit, quæ te, patriamque, domumque  
     Perdat ; Io, prohibe ; Graia juvenca venit.  
 Dum licet, obsecnam ponto, Di, mergite puppim :  
     Heu quantum Phrygii sanguinis illa vehit !  
 Dixerat : In cursu famulæ rapuere furentem.  
     At mihi flaventes diriguere comæ.  
 Ah nimium vates miseræ mihi vera fuisti !  
     Possidet en saltus illa juvenca meos.  
 Quæcunque herba potens ad opem, radixque medendi  
     Utilis in toto nascitur orbe, mea est.  
 Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis !  
     Deficior prudens artis ab arte mea.  
 Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas  
     Fertur, et a nostro saucius igne fuit.  
 Quod neque graminibus tellus fecunda creandis,  
     Nec Deus auxilium, tu mihi ferre potes.  
 Et potes, et merui. Dignæ miserere puellæ.  
     Non ego cum Danaïs arma cruenta fero.  
 Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis :  
     Et tua, quod superest temporis esse precor.

## DIDO AENEÆ.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,  
     Ad vada Mæandri concinit albus olor.  
 Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,  
     Alloquor : adverso movimus ista Deo.  
 Sed merita et famam, corpusque, animumque pudicum  
     Cum male perdiderim : perdere verba leve est.  
 Certus es ire tamen miseramque relinquere Dido :  
     Atque iidem venti vela fidemque ferent.  
 Certus es, Aenea cum födere solvere naves :  
     Quæque ubi sint nescis, Itala regna sequi.  
 Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt

Mœnia ; nec sceptro tradita summa tuo.  
 Facta fugis ; facienda petis. Quærenda per orbem  
     Altera, quæsita est altera terra tibi.  
 Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam ?  
     Quis sua non notis arva tenenda dabit ?  
 Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido :  
     Quamque iterum fallas, altera danda fides.  
 Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,  
     Et videas populos altus ab arce tuos ?  
 Omnia ut eveniant, nec te tua vota morentur ;  
     Unde tibi, quæ te sic amet, uxor erit ?  
 Uror, ut inducto ceratae sulfure tædæ :  
     Ut pia fumosis addita thura focis.  
 Æneas oculis semper vigilantis inheret :  
     Ænæan animo noxque diesque refert.  
 Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus ;  
     Et quo, si non sim stulta, carere velim ;  
 Non tamen Ænean, quamvis male cogitat, odi :  
     Sed queror infidum, questaque pejus amo.  
 Parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem,  
     Frater Amor : castris militet ille tuis.  
 Aut ego quem cœpi (neque enim dedignor) amare,  
     Materiam curæ præbeat ille meæ.  
 Fallor ; et ista mihi falso jactatur imago.  
     Matris ab ingenio dissidet ille suæ.  
 Te lapis et montes, innataque rupibus altis  
     Robora, te sævæ progenuère feræ :  
 Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis :  
     Quo tamen adversis fluctibus ire paras.  
 Quo fugis ? obstat hyems : hyemis mihi gratia proposit.  
     Aspice, ut eversas concitet Eurus aquas.  
 Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.  
     Justior est animo ventus et unda tuo.  
 Non ego sum tanti (quamvis merearis, inique)  
     Ut pereas, dum me per freta longa fugis.  
 Exerces pretiosa odia, et constantia magno ;  
     Si, dum me careas, est tibi vile mori.  
 Jam venti ponent, strataque æqualiter unda,  
     Cæruleis Triton per mare curret equis.  
 Tu quoque cum ventis utinam mutabilis essem,  
     Et, nisi duritia robora vincis, eris.

Quid, si nescieris, insana quid æquora possint ?  
 Expertæ toties tam male credis aquæ ?  
 Ut pelago suadente etiam retinacula solvas,  
   Multa tamen latus tristia pontus habet.  
 Nec violâsse fidem tentantibus æquora prodest :  
   Perfidiae pœnas exigit ille locus.  
 Præcipue cum læsus Amor : quia mater Amoris  
   Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.  
 Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti ;  
   Neu bibat æquoreas naufragus hostis aquas.  
 Vive, precor : sic te melius, quam funere, perdam :  
   Tu potius leti causa ferare mei.  
 Finge, age, te rapido (nullum sit in omne pondus)  
   Turbine deprêndi : quid tibi mentis erit ?  
 Protinus occurrit falsæ perjuria linguae,  
   Et Phrygia Dido fraude coacta mori.  
 Conjugis ante oculos deceptæ stabit imago  
   Tristis, et effusis sanguinolenta comis.  
 Quicquid id est, totum merui, concedite dicas :  
   Quæque cadent, in te fulmina missa putas.  
 Da breve sævitiæ spatum pelagique tuæque :  
   Grande moræ pretium tuta futura via est.  
 Nec mihi parcatur : puero parcatur Iulo.  
   Te satis est titulum mortis habere meæ.  
 Quid puer Ascanius, quid Di meruere Penates !  
   Ignibus erectos obruet unda Deos.  
 Sed neque fers tecum ; nec, quæ mihi, perfide, jactas  
   Presserunt humeros sacra paterque tuos.  
 Omnia mentiris. Nec enim tua fallere lingua  
   Incipit a nobis ; primaque plector ego.  
 Si quæras, ubi sit formosi mater Iuli :  
   Occidit a duro sola relicta viro.  
 Diva parens ; seniorque pater, pia sarcina nati,  
   Spem mihi mansuri rite dedere viri.  
 Si fuit errandum, causas habet error honestas.  
   Adde fidem ; nulla parte pigendus erit.  
 Durat in extremum, vitæque novissima nostræ  
   Persequitur fati, qui fuit ante, tenor.  
 Occidit internas conjux mactatus ad aras :  
   Et sceleris tanti præmia frater habet.  
 Exul agor ; cineresque viri patriamque relinquo :

Et feror in duras hoste sequente vias.  
 Applicor ignotis : fratrique elapsa fretoque,  
   Quod tibi donavi, perfide, litus emo.  
 Urbem constitui ; lateque patientia fixi  
   Mœnia, finitimus invidiosa locis.  
 Bella tument : bellis perigrina et fœmina tentor :  
   Vixque rudes portas urbis et arma paro.  
 Mille procis placui : qui me coïre, querentes  
   Nescio quem thalamis præposuisse suis.  
 Quid dubitas vinctam Gætulo tradere Iarbæ ?  
   Præbuerim sceleri brachia nostra tuo.  
 Est etiam frater : cuius manus impia possit  
   Respergi nostro, sparsa cruce viri.  
 Pone Deos, et quæ tangendo sacra profanas :  
   Non bene cœlestes impia dextra colit.  
 Si tu cultor eras elapsis igne futurus,  
   Pœnitet elapsos ignibus esse Deos.  
 Sed jubet ire Deus. Vellem vetuisset adire ;  
   Punica nec Teucris pressa fuisset humus.  
 Hoc duce (nempe Deo) ventis agitaris inquis,  
   Et teris in rapido tempora longa freto.  
 • Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,  
   Hectore si vivo quanta fuere, forent.  
 Non patrium Simoënta petis : sed Tybridis undas.  
   Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris.  
 Utque latet, vitatque tuas abstrusa carinas,  
   Vix tibi continget terra petita seni.  
 Hos potius populos in dotem, ambage remissa  
   Accipe ; et advectas Pygmalionis opes.  
 Ilion in Tyriam transfer felicius urbem,  
   Inque loco regis sceptræ sacrata tene.  
 Si tibi mens avida est belli, si quæreret Iulus  
   Unde suo partus Marte triumphus eat ;  
 Quem supereret, ne quid desit, præbebimus hostem ;  
   Hic pacis leges, hic locus arma capit.  
 Tu modo, per matrem fraternalque tela sagittas,  
   Perque fugæ comites, Dardana sacra, Deos :  
 (Sic superent quoscunque tua de gente reportas,  
   Mars ferus et damnis sit modus ille tuis,  
 Ascaniusque suos feliciter implet annos,  
   Et senis Anchisæ molliter ossa cubent)

Parce p̄ecor domui, quæ se tibi tradit habendam.  
 Quod crimen dicis, præter amasse, meum ?  
 Non ego sum Phthias, magnisve oriunda Mycenis :  
     Nec steterunt in te virque paterque meus,  
 Si pudet uxoris ; non nupta, sed hospita dlear.  
     Dum tua sit Dido, quodlibet esse feret.  
 Nota mihi freta sunt Afrum frangentia littus :  
     Temporibus certis dantque negantque viam.  
 Cum dabit aura viam, præbebis carbasa ventis.  
     Nunc levis ejectam continet alga ratem.  
 Tempus ut observem, manda mihi ; certius ibis :  
     Nec te, si cupies ipse, manere sinam.  
 Et socii requiem poscunt, laniataque classis  
     Postulat exiguae semirefecta moras.  
 Pro meritis et si qua tibi præbebimus ultro,  
     Pro spe conjugii tempora parva peto.  
 Dum freta mitescunt, et Amor : dum tempore et usu.  
     Fortiter edisco tristia posse pati.  
 Sin minus ; est animus nobis effundere vitam.  
     In me crudelis non potes esse diu.  
 Adspicias utinam, quæ sit scribentis imago !  
     Scribimus, et gremio Troicus ensis adest :  
 Perque genas lacrymæ strictum labuntur inensem ;  
     Qui jam pro lacrymis sanguine tinctus erit,  
 Quam bene conveniunt fato tua munera nostro !  
     Instruis impensa nostra sepulchra brevi.  
 Nec mea nunc primo feriuntur peitora telo :  
     Ille locus sævi vulnus amoris habet.  
 Anna soror, soror Anna, meæ male conscientia culpæ  
     Jam dabis in cineres ultima dona meos.  
 Nec consumpta rogis, inscribar Elissa Sichæi ;  
     Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit :  
 Præbuit Æneas et causam mortis etensem.  
     Ipsa sua Dido concidit usa manu.

## NUX.

Nux ego juncta viæ, cum sim sine crimine vitæ,  
     A populo saxis prætereunte petor.  
 Obruere ista solet manifestos poena nocentes,

Publica cum lentam non capit ira moram.  
 Nil ego peccavi : nisi si peccasse vocetur,  
     Annua cultori poma referre suo.  
 At prius arboribus, tum cum meliora fuere  
     Tempora, certamen fertilitatis erat.  
 Cum domini memores sertis ornare solebant  
     Agricolas fructu proveniente Deos.  
 Sæpe tuas igitur, Liber, miratus es uvas :  
     Mirata est oleas sæpe Minerva suas,  
 Pomaque læsissent matrem ; ni subdita ramo  
     Longa laboranti furca tulisset opem.  
 Quinetiam exemplo pariebat fœmina nostro ;  
     Nullaque non illo tempore mater erat.  
 At postquam platanis sterilem præbentibus umbram,  
     Uberior quavis arbore venit honos ;  
 Nos quoque frugiferæ (si nux modo ponor in illis)  
     Gœpimus in patulas luxuriare coinas.  
 Nunc neque continuos nascuntur poma per annos :  
     Uvaque læsa domum, læsaque bacca venit.  
 Certe ego, si nunquam peperisse, tutior essem.  
     Ista Clytemnestra digna querela fuit.  
 Si sciat hoc vitis, nascentes suppressimet uvas :  
     Orbaque, si sciat hoc, Palladis arbor erit.  
 Hoc in notitiam veniat maloque piroque ;  
     Destituent silvas utraque poma suas,  
 Quæque sibi vario distinguit poma colore,  
     Audiat hoc cerasus ; stipes inanis erit.  
 Non equidem invideo : nunquid tamen ultra feritur,  
     Quæ sterilis sola conspicienda coma est ?  
 Cernite sinceros omnes ex ordine truncos,  
     Qui modo nil, quare percutiantur, habent.  
 At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis ;  
     Nudaque dejecta cortice ligna patent.  
 Non odium facit hoc, sed spes indulta rapinae.  
     Sustineant aliæ poma ; querentur idem.  
 Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro  
     Esse potest : inopis vindice facta carent.  
 Sic timet insidias, qui scit se ferre viator,  
     Cur timeat : tutum carpit inanis iter.  
 Sic ego sola petor ; soli quia causa petendi est.  
     Frondibus intactis cætera turba virent.

Nam quod habent frutices alii quoque proxima nobis  
Fragmina, quæ læso vimine multa jacent ;  
Non istis sua facta nocent : vicinia damno est.  
Excipiunt ictu saxa repulsa meo.  
Idque fide careat ; si non, quæ longius absunt,  
Nativum retinent inviolata decus.  
Ergo, si sapiant, et mentem verba sequantur,  
Devoveant umbras proxima quæque meas.  
Quam miserum est, odium damnis accedere nostris ;  
Meque ream nimiæ proximitatis agi !  
Sed, puto, magna mei est operoso cura colono.  
Invenias, qui det nil mihi, præter humum.  
Sponte mea facilis contemto nascor in agro :  
Parsque loci, qua sto, publica pæne via est.  
Me, sata ne lædam, (quoniam sata lædere dicor  
Imus in extremo margine fundus habet.  
Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras  
Duratam renovat non mihi fossor humum.  
Sole licet siccaque siti peritura laborem,  
Irriguæ dabitur non mihi sulcus aquæ.  
At cum maturas fissa nova cortice rimas  
Nux agit ; ad partes pertica sæva venit.  
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis ;  
Ne possim lapidum verbera sola queri,  
Poma cadunt mensis non interdicta secundis ;  
Et condis lectas, parca colona, nuces.  
Has puer aut certo rectas dilaminat ictu ;  
Aut pronus digito bisve semelve petit.  
Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est ;  
Cum sibi suppositis additur una tribus.  
Per tabulæ clivum labi jubet alter ; et optat  
Tangat ut e multis quamlibet una suam.  
Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar :  
Ut divinatas auferat augur opes.  
Fit quoque de creta, qualem cœleste figuram  
Sidus, et in Græcis littera quarta gerit.  
Hæc ubi distincta est gradibus, qui constitit intus  
Quot tetigit virgas, tot rapit inde nuces.  
Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur ;  
In quod missa levi nux cadat una manu.  
Felix, secreto quæ nata est arbor in arvo ;

Et soli domino ferre tributa potest !  
 Non hominum strepitus audit, non illa rotarum :  
 Non a vicina pulverulenta via est.  
 Illa suo, quæcunque tulit, dare dona colono,  
 Et plenos fructus annumerare potest.  
 At mihi maturos nunquam licet edere fœtus ;  
 Ante diemque meæ decutiuntur opes.  
 Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intro est,  
 Nec mala sunt ulli nostra futura bono :  
 Jam tamen invenias, qui me jaculentur, et ictu  
 Præfestinato munus inane petant.  
 Si fiat rapti, fiat mensura relictii,  
 Majorem domini parte, viator, habes.  
 Sæpe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidi,  
 Esse putat Boreæ triste furentis opus.  
 Estibus hic, hic me spoliatam frigore credit :  
 Est quoque, qui crimen grandinis esse putet.  
 At mihi nec grando duris invisa colonis,  
 Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit.  
 Fructus obest : peperisse nocet : nocet esse feracem.  
 Quæque fuit multis, et mihi præda malo est.  
 Praeda malo, Polydore, fuit tibi : præda nefandæ  
 Conjugis Aonium misit in arma virum.  
 Hesperii regis pomaria tuta fuissent :  
 Una sed immensas arbor habebat opes.  
 At rubus et sentes tantummodo lædere natæ,  
 Spinaque vindicta cætera tuta sua est.  
 Me, quia nec noceo, nec obuncis vindicor hamis ;  
 Missa petunt avida saxa proterva manu.  
 Quid, si non aptas solem fugientibus umbras,  
 Prouditur Icario cum cane terra, darem ?  
 Quid, nisi suffugium nimbos vitantibus essem ;  
 Non exspectata cum venit imber aqua ?  
 Omnia cum faciam, cum præstem sedula cunctis  
 Officium ; saxis officiosa petor.  
 Hæc mihi perpessæ, domini patienda querela est.  
 Causa habeor, quare sit lapidosus ager.  
 Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit ;  
 Semper habent in me tela parata viæ.  
 Ergo invisa aliis, uni mihi frigora prosunt :  
 Illo me tutam tempore præstat hiems.

Nuda quidem tunc sum ; nudam tamen expedit esse :  
   Nec spolium de me, quod petat, hostis habet.  
 At simul induimus nostris sua munera ramis ;  
   Saxa novos fructus grandine plura petunt.  
 Forsitan hic aliquis dicat, Quae publica tangunt,  
   Carpere concessum est : hoc via juris habet.  
 Si licet hoc ; oleas distringite : cedite messes.  
   Improbœ, vicinum carpe, viator, olus.  
 Intret et urbanas eadem petulantia portas ;  
   Sitque tuis muris, Romule, juris idem ;  
 Quilibet argentum prima de fronte tabernæ  
   Tollat : et ad gemmas quilibet alter eat.  
 Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos ;  
   Et quascumque potest tollere, tollat opes.  
 Sed neque tolluntur ; nec, dum regit omnia Cæsar,  
   Incolumis tanto præside raptor erit.  
 At non ille Deus pacem intra mœnia finit.  
   Auxilium toto spargit in orbe suum.  
 Quid tamen hoc prodest, media si luce palamque  
   Verberor, et tutæ non licet esse nuci ?  
 Ergo nec nidos foliis hærere, nec ullam  
   Sedibus in nostris stare videtis avem.  
 At lapis, in ramo sedit quicunque bifurco,  
   Hæreret, et ut capta victor in arce manet.  
 Cætera sæpe tamen potuere admissa negari,  
   Et crimen nox est inficiata suum.  
 Nostra notat fusco digitos injuria succo,  
   Cortice contactas inficiente manus.  
 Ille cruor meus est : illo maculata crux  
   Non profectura dextra lavatur aqua.  
 O ego, cum longæ venerunt tædia vitæ,  
   Optavi quoties, arida facta mori !  
 Optavi quoties, aut cæco turbine verti,  
   Aut valido missi fulminis igne peti !  
 Atque utinam subitæ raperent mea poma procellæ :  
   Vel possem fructus excutere ipsa meos.  
 Quid mihi tunc animi est cum sumit tela viator ;  
   Atque oculis plagæ destinat ante locum ?  
 Nec vitare licet moto fera verbera truncō,  
   Quem sub humo radix vinclaque firma tenent.  
 Corpora præbemus plagis : ut sæpe sagittis,

Cum populus manicas deposuisse vetat :  
 Utve gravem candens ubi tolli vacca securim,  
   Aut stringi cultros in sua colla videt.  
   Epe meas vento frondes tremuisse putastis :  
     Sed metus in nobis causa tremoris erat.  
 Si merui, videorque nocens ; imponite flammæ,  
   Nostraque fumosis urite membra focis.  
 Si merui, videorque nocens ; excidite ferro :  
   Et liceat miseræ dedoluisse semel.  
 Si nec curar, nec cur excidar, habetis,  
   Parcite, sic cœptum perficiatis iter.

## TRISTIUM LIB. I. 3.

Cum subit illius tristissima noctis imago,  
   Quæ mihi supremum tempus in urbe fuit ;  
 Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui ;  
   Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.  
 Jam prope lux aderat, qua me discedere Cæsar  
   Finibus extremæ jusserrat Ausoniæ.  
 Nec mens, nec spatum fuerant satis apta paranti :  
   Torpuerant longa Pectora nostra mora.  
 Non mihi servorum, comitis non cura legendi :  
   Non aptæ profugo vestis opisve fuit.  
 Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus  
   Vivit ; et est vitæ nescius ipse suæ.  
 Et tamen hanc animo nubem dolor ipse removit,  
   Ex tandem sensus convaluere mei ;  
 Alloquor extremum mœstos abiturus amicos,  
   Qui modo de multis unus et alter erant.  
 Uxor amans flentem flens acrius ipse tenebat ;  
   Imbre per indignas usque cadente genas.  
 Nata procul Libycis aberat diversa sub oris :  
   Nec poterat fati certior esse mei.  
 Quocunque adspiceres, luctus gemitusque sonabant :  
   Formaque non taciti funeris intus erat.  
 Fœmina, virque, meo pueri quoque funere mœrent :  
   Inque domo lacrymas angulus omnis habet.  
 Si licet exemplis in parvo grandibus uti ;  
   Hæc facies Trojæ, cum caperetur erat.

Jamque quiescebant voces hominumque carumque  
     Lunaque nocturnos alta regebat equos ;  
 Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,  
     Quæ nostro frustra juncta fuere Lari ;  
 Numinis vicinis habitantia sedibus, inquam,  
     Jamque oculis nunquam templa videnda meis,  
 Dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini ;  
     Este salutati tempus in omne mihi.  
 Et quamquam sero clypeum post vulnera surgo ;  
     Attamen hanc odiis exonerare fugam ;  
 Cælestique viro, quis me deceperit error,  
     Dicite ; pro culpa ne scelus esse putet.  
 Ut, quod vos scitis, poenæ quoque sentiat auctor.  
     Placato possum non miser esse Deo.  
 Hac prece adoravi Superos ego : pluribus uxori,  
     Singultu medios præpediente sonos.  
 Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis  
     Contigit extinctos ore tremente focos :  
 Multaque in aversos effudit verba Penates,  
     Pro deplorato non valitura viro.  
 Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat,  
     Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.  
 Quid facerem ? blando patriæ retinebar amore :  
     Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.  
 Ah quoties aliquo dixi properante, Quid urges ?  
     Vel quo festines ire, vel unde, vide.  
 Ah quoties certam me sum mentitus habere  
     Horam, propositæ quæ foret apta viæ.  
 Ter limen tetigi ; ter sum revocatus : et ipse  
     Indulgens animo pes mihi tardus erat.  
 Sæpe, Vale dicto, rursus sum multa locutus ;  
     Et quasi discedens oscula summa dedi.  
 Sæpe eadem mandata dedi : meque ipse fefelli,  
     Respiciens oculis pignora cara meis.  
 Denique, quid propero ? Scythia est, quo mittimu  
     inquam :  
         Roma relinquenda est, utraque justa mora e:  
 Uxor in æternum vivo mihi viva negatur :  
     Et domus, et fidæ dulcia membra domûs.  
 Quosque ego fraterno dilexi more sodales.  
     O mihi Thesea pectora juncta fide !

• **Dum licet, amplectar : nunquam fortasse licebit**  
     **Amplius, in lucro, quæ datur hora, mihi est.**  
 • **Nec mora ; sermonis verba imperfecta relinquo,**  
     **Complectens animo proxima quæque meo.**  
 • **Dum loquor, et flemus ; cælo nitidissimus alto**  
     **Stella gravis nobis Lucifer ortus erat.**  
 • **Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam :**  
     **Et pars abrumpi corpore visa suo est.**  
 • **Sic Priamus doluit, tunc cum in contraria versus**  
     **Ultores habuit proditionis equus.**  
 • **Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum ;**  
     **Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.**  
 • **Tum vero conjux humeris abeuntis inhærens**  
     **Misquit hæc lacrymis tristia dicta suis.**  
 • **Non potes avelli, simul ab, simul ibimus, inquit !**  
     **Te sequar ; et conjux exsulis exsul ero,**  
     **Et mihi facta via est : et me capit ultima tellus.**  
     **Accedam profugæ sarcina parva rati.**  
 • **Te jubes e patria discedere Cæsaris ira ;**  
     **Me pietas, pietas hæc mihi Cæsar erit.**  
 • **Talla tentabat : sic et tentaverat ante :**  
     **Vixque dedit vietas utilitate manus.**  
 • **Egredior (sive illud erat sine funere ferri)**  
     **Squalidus immissis hirta per ora comis.**  
 • **Illa dolore mei tenebris narratur obortis**  
     **Semianimis media procubuisse domo.**  
 • **Utque resurrexit, foedatis pulvere turpi**  
     **Orinibus, et gelida membra levavit humo ;**  
 • **Se modo, desertos modo complorasse Penates ;**  
     **Nomen et erepti sæpe vocasse viri :**  
 • **Nec gemuisse minus, quam si nataeve meumve**  
     **Vidisset structos corpus habere rogos :**  
 • **Et voluisse mori ; moriendo ponere sensus :**  
     **Respectuque tamen non posuisse mei.**  
 • **Vivat : et absentem, quoniam sic fata tulerunt,**  
     **Vivat, et auxilio sublevet usque suo.**

## ELEGIA 4.

Tingitur Oceano custos Erymanthidos Ursæ,  
 Æquoreasque suo sidere turbat aquas :  
 Nos tamen Ionum non nostra findimus æquor  
 Sponte : sed audaces cogimur esse metu.  
 Me miserum, quantis increscunt æquora ventis ;  
 Erutaque ex imis fervet arena vadis !  
 Monte nec inferior proræ puppique recurvæ  
 Insilit, et pictos verberat unda Deos.  
 Pinea texta sonant ; pulsi stridore rudentes :  
 Aggemit et nostris ipsa carina malis.  
 Navita confessus gelido pallore timorem  
 Jam sequitur victam, non regit arte, ratem.  
 Utque parum validus non proficientia rector  
 Cervicis rigidæ fræna remittit equo :  
 Sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undæ,  
 Aurigam video vela dedisse rati.  
 Quod nisi mutatas emiserit Æolus auras ;  
 In loca jam nobis non adeunda ferar.  
 Nam procul Illyriis læva de parte relicta,  
 Interdicta mihi cernitur Italia.  
 Desinat in vetitas quæso contendere terras,  
 Et mecum magno pareat aura Deo.  
 Dum loquor, et cupio pariter timeoque revelli,  
 Increpuit quantis viribus unda latus !  
 Parcite, cœrulei vos parcite numina ponti ;  
 Infestumque mihi sit satis esse Jovem.  
 Vos animam sævæ fessam subducite morti.  
 Si modo, qui periit, non periisse potest.

## ELEGIA 8.

Nunc ego Triptolemi cuperem concendere currus,  
 Misit in ignotam qui rude semen humum :  
 Nunc ego Medeæ vellein frænare dracones  
 Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua :  
 Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,  
 Sive tuas, Perseu, Dædale, sive tuas :  
 Ut tenera nostris cedente volatibus aura,

TRISTIUM LIB. III. 8.

Aspicerem patriæ dulce repente solum :  
Desertæque domus vultum, memoresque sodales,  
Charaque præcipue conjugis ora mihi.  
Tulit, quid ò frustra votis puerilibus optas,  
Quæ non ulla tulit, fertque, feretque, dies ?  
Si semel optandum est, Augustum numen adora :  
Et quem læsistī, rite precare, Deum.  
Ille tibi pennasque potest currusque volucres  
Tradere : det redditum ; protinus ales eris.  
Si precer hæc, (neque enim possim majora precari)  
Ne m̄ca sint timeo vota modesta parum.  
Forsitan hoc olim, cum se satiaverit ira,  
up̄ quoque solicita mente rogandus erit.  
Quæ minus interea est, instar mihi muneris ampli,  
Ex̄s me jubeat quolibet ire locis.  
Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ ;  
Et mihi perpetuus corpora languor habet.  
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis ;  
Sive nei causa est in regione mali :  
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia ; vixque  
Gssa tegit macies ; nec juvat ora cibus.  
Quinque per autumnum percussis frigore primo  
Est color in foliis, quæ nova læsit hyems ;  
Is mea membra tenet : nec viribus allevor ullis ;  
Et nunquam queruli causa doloris abest.  
Nec inelius valeo, quam corpore, mente ; sed ægra est  
Utraque pars æque, binaque damna fero.  
Hæret, et ante oculos veluti spectabile corpus  
Adstat Fortunæ forma legenda meæ.  
Cumque locum, moresque omnium, cultusque, so-  
numque,  
Cernimus ; et quid sim, quid fuerimque, subit ;  
Tantus amor necis est, querar ut de Cæsaris ira,  
Quod non offensas vindicet ense suas.  
At quoniam semel est odio civiliter usus,  
Mutato levior sit fuga nostra loco.